INSTITVTIONES *Oratoriæ.*

ELoquētia vis eſt bene dicendi,cuius nominis origo ab eloquēdo, id eſt ornatè, & eleganter quod ſentimus exprimēdo ducta eſt. Huius facultatis tres ſunt gradus, Primus naturę,ſecundus doctrinæ,tertius exercitationis, Natura enim celeres ingeniorū motus ingenerauit nobis,qui ſunt ad omnem cogitationem mentis, prudentiamque rationis explicandam,& ornandam vberes,& copioſi:quos cùm doctrinę cognitio,& aſſiduus exercitationis labor confirmauit, præclarum, ac eximium eloquentię munus exiſtit. Atque (vt à natura parente doctrinæ,huius inſtitutionis naſcatur exordium) naturalem vim orationis,vt rationis hominum generi tributam eſſe,nec minus hominum propriam dictionem,quam rationem eſſe conſtat:quanuis in aliis magis,in aliis minus ſingulares illæ dotes eluceant:quæ quantum per ſe valeant,

[redacted]

declarauit troïcis temporibus antequam hæc doctrina prodiisset in lucem, trium eloquentissimorum principum Vlyssis, Menelaï, Nestoris in dicendo gloria: declarauit veterum poëtarum, philosophorum, historicorum, causidicorum non minus suauis, & elegans quàm sapiens & grauis oratio: declarat hodie innumerabilium hominum sine vllis præceptis Rhetoricis grauiter, & ornatè loquentium fama: qui ornamentis verborum simplicium, & coniunctorum mirabiliter excellunt: quorum naturali consuetudine diligenter animaduersa, notataque àd oratoriæ veritatis, & pulchritudinis ideam, similitudinemque descriptio artis dirigenda est. Quamobrem Rhetorica sit doctrina de qualibet re bene dicendi: quam idcirco Cicero ministram, comitemque sapientiæ nominauit, quod vt sapientia rerum omnium cognitionem, ita Rhetorica exornationem præstaret atque elocutionem. antiqui (quos λογοδαιδάλους appellat in Phœdro Socrates) de omni re quęcunque in disceptationem, quæstionemque vocaretur, se copiosissime, & ornatissime dicturos esse pollicebantur: quod hæc professio nullam habeat definitam regionem, cuius terminis septa teneatur: sed in immenso rerum omnium, atque artium campo liberè vagari, consistere-

qu

que possit:& tanquam in magnificentia,& apparatione popularium munerum ministrare copiam,& ornatum orationi. Rhetoricæ autem artis partes,naturæ partibus respondent: quarum vna versatur in laude, & ornamentis verborum singulorum,altera coniunctorum. Singula per se,& separatim quã laudẽ, quódve lumen adferant:cõiuncta in perpetuitate, & continuatione orationis quantam in ordine æquabilitatem, in numeris suauitatem, in figuris venustatẽ habeant,diligentissime spectanda sunt:vt mox à nobis per singulas propositæ diuisionis partes euntibus dicetur.

In simplicibus igitur ea prima laus est si lecta,atque illustria fuerint, in quibus plenũ aliquid,& sonãs inesse videatur:sola enim ratio vocalitatis,(quam εὐφωνίαν Græci vocãt,habẽda est,vt inter duo quæ idẽ significãt,ac tãtidem valet,quod melius sonat,assumẽdũ sit: Horũ duo genera,propriũ,& trãslatum. Propriũ est sua cuiusq; rei in vnaquaq; gẽte,& lingua appellatio,vna propemodũ nata cũ re ipsa. Ideóq; Socrates in Cratylo statuit propria verba esse naturales imagines,& quasi picturas rerum quas significant: neque opinionis, sed naturæ consilio fingenda esse:& vt suis rebus aptissimẽ cõueniãt,& nõnũq; suis literis, syllabisq; digitum (vt sæpe fit)ad fontes originis intẽdãt:vt θεὸς Deus,ἀπὸ τοῦ θεῖν,id est,à

currendo ἄνθρωπος,homo quaſi ἀναθρῶν,id eſt contemplans,σῶμα corpus quaſi σῆμα,id eſt ſepulchrũ, Saturnus quòd ſaturatur annis, Iupiter,id eſt iuuans pater, Sol quòd cùm eſt exortus,obſcuratis omnibus ſolus apparet,Luna à lucendo,& permulta alia eiuſdem rationis.Tranſlatum dico quod ex eo loco in quo proprium erat,in eum in quo proprium non eſt, commutatur: vt lumen in ſole germanum,ac proprium eſt:lumen ingenij, mentis, conſilij,orationis tranſlatum, & aliunde aſſumptum. Ornatus propriorum ſumitur ex nouitate,& vetuſtate,quibus vt parcè,& modicè:ita ſuo loco poſitis floretior, & grauior efficitur oratio. Verba nouantur, quæ ab eo qui dicit,gignuntur,ac fiunt: qua in re veteres ſibi indulſerunt,Græci quidem ad locupletandam copiam,& vbertatem:Latini verò ad ſubleuandam inopiam,& paupertatem ſui ſermonis. Nouantur autem duobus modis, aut cùm nouè fiunt,quæ prius non erant: aut ex alio idiomate traducta,tanquam beneficio ciuitatis afficiuntur.Prior illa fabricatio nominum,vtitur partim compoſitione, cùm ſingula coniunguntur,& in vnam naturam confluunt:hinc rudentiſibilus, incuruiceruicum pecus,& alia infinita eiuſdam notæ:quædam noua,nunc vetera:partim deriuatione. Cic.1. Academica,Qualitates igitur appellaui,quas

ποιό-

ποιότητας Grçci vocāt,à nomine quali,qualitatem nouè finxit.idem pro Seſtio,Qui rumore,& (vt ipſi loquuntur) fauore populi te netur ac ducitur.& 9.ad Atticum: Ita ſullaturit animus eius,ac proſcripturit iamdiu. illud à Sulla, hoc à proſcribo deriuatum eſt.Altera nouandi ratio ab alio peregrinæ gentis idiomate verbum mutuatur.Itaque Latini nō dubitarunt græca latinis declinationibus accommodare.Cicero libro.3.de finibus: Ea verba quibus ex inſtituto veterum vtimur pro latinis,vt ipſa Philoſophia,vt Rhetorica, Dialectica,Grammatica,Muſica, quanquam ea latinè dici poterant,tamen quoniam vſu percepta ſunt,noſtra ducamus.Horum faciendorū apud nos in poëtis licentia maior eſt, vt non ſolum cùm patriæ uoces deſint, verùmetiam cùm ſuppeditent,vſurpentur.Virgil.1. Geor. Qua locus Erigonē inter,chelaſq; ſequentes. Erigone,& chele è Græcis latina facta ſunt, quamuis Virgo & Libra voces ſint Romanæ vrbis alumnæ.Neque verò ſolum è græcis latina transferuntur,ſed etiam ex aliis populis. Nam maſtrugam (quod ſardum eſt) illudens Cicero ex induſtria dixit pro Scauro, quem purpura regalis non commouit, cum ſardorum maſtruga commutauit? Et de prouinciis conſularibus res in Sardinia cum maſtrugatis latrunculis à proprætore vna cohorte au-

xiliaria geſta. Quando igitur ratio nouandorum nominum in quibus ineſt flos, & lepos orationis, demonſtrata eſt: ſequitur vt de vetuſtis, quibus maieſtas aliqua continetur, dicendũ ſit. Vetuſta ſunt ab vſu quotidiani ſermonis quodammodo intermiſſa, non tamen penitus obſoleta: quorum moderatus vſus parem gratiam nouatis reperit. Hæc enim velut grandia robora in ſacris vetuſtate lucis admiramur. Virgil. 1. Aeneid.

Olli ſubridens hominum ſator, atque deorũ,
Vultu quo cœlum, tempeſtateſque ſerenat:

à remotis enim temporibus repetitum eſt verbum olli. Cicero lib. 3. de Orat. Neque enim illud fugerim dicere, vt Cælius, Qua tempeſtate Pœnus in Italiam venit: nec prolem, aut ſobolem, aut effari, aut nuncupari, aut (vt ſoles Catule) non rebar, haud opinabar, & alia multa, quibus loco poſitis grandior, atque antiquior oratio ſæpe videri ſolet. Quamobrẽ inſignis ornatus verborum propriorum nouitate, aut vetuſtate cõmendatur: reliqua niſi ſint illuſtria, ac bene ſonantia, non eloquentiæ, ſed puritatis putanda ſunt: quibus qui vtitur, magis caret vitio, quam magnam in dicendo laudem aſſequitur: quanquam etiam quemadmodum propriis, ita tranſlatis poſſunt attribui eadem nouitatis, & vetuſtatis ornamenta. Nam Cicero vrbanum

pro

pro lauto, ac splendido nouum esse credit. Ad Appium enim sic scribit, te hominem non solum sapientem, verumetiam (vt nunc loquimur vrbanum non arbitrabar genere isto legationum delectari: & exantlare pro perpeti, ac superare vetus est: in prima Tusculana, quod cùm exantlauisset omnes labores, tum incideret in mortis malum sempiternum. Sed ista sunt in promptu, ac tantum locus attingendus fuit.

Venio nunc ad elegantiam translationis, cùm tam aptè facta est, vt non irruisse in alienum locum, sed immigrasse in suum videatur: à Græcis μεταφορὰ dicta est: cui Aristoteles, Ciceroq; reliquos tropos sub iungit, & nos hoc modo præcipiendum esse putamus. Eorum quæ transferuntur duo genera orationi multum splendoris, ac suauitatis adferunt: vnum per similitudinem, alterum sine similitudine translatum. Primi generis ea sunt quæ cum proprio naturæ sensu (vnde transferuntur) similitudinis affinitate communicant. Nanque fulmen in aëre proprium est, at per similitudinem in Scipionibus translatum, quod hostes armis instar fulminis permouerēt. Cic. pro Balbo, Cùm duo fulmina nostri imperij subito in Hispania Cn. & P. Scipiones occidissent. Virg. 6. Aen. Aut geminos duo fulmina belli: Scipiadas.

Atque

Atque hic tropus tam late patet quàm genera naturæ:nullius enim rei certum, & proprium vocabulum eſt, quod non poſſit certa aliqua ratione ſimilitudinis in alienum locũ deduci. Nam(vt ab incorporeis rebus ordiar)deus,& & diuinitas transferuntur ad homines. Cice. pro Seſtio P.Lentulus cuius ego patrẽ deum, ac parentem ſtatuo fortunæ,nominiſque mei. Virgilius æglo.1.

Deus nobis hæc otia fecit.

In Orato.perfecto:Theophraſtus à diuinitate loquendi nomen inuenit.Naturæ materia & forma conſtantes,aut ſimplices ſunt,aut compoſitæ. Simplicium propria nomina in hanc formam tranſlationis elegantiſſimè cadunt: ac primum quę ſunt ignis.Cice.3.Tuſcu.Natura nobis paruos igniculos dedit. libro 3. de Orat.Sulpitius qui in eadem inuidiæ flamma fuiſſet. Pro domo ſua,in quos propter eorum crudelitatem,mentes noſtræ inflammatę fuerunt.ſic Catil.1.Inuidię incendio conflagrare. pro Cluentio. Mulier incenſa odio priſtino. Tuſcul.1. Omnes incẽdũtur ad ſtudia gloria: Virgil.ægloga.2.

Me tamen vrit amor: Eneid.4.

Agnoſco veteris veſtigia flammæ:

Inceditque animum dictis,

Ardet abire fuga:

Quæ ſunt aëris, Cice. Tranquilla, ac ſerena frons:

frons: Virgil. 4. Aeneid.

Consilium vultu tegit, ac spem frōte serenat:

Quæ sunt aquarum, fons, riuus flumē, fluere, manare, haurire, exhaurire. Cicero pro Murena: Cum tui fontes vel inimicis tuis pateant, nostros riuulos etiam amicis putes clausos esse oportere. lib. 3. de Orato. Flumen grauissimorum, & optimorum verborum. Pro Murena: Excident gladij, fluēt arma de manibus. Pro domo sua: Vnus pro multis hausi indignissimam calamitatē. Philippica. 11. Quem gurgitem? quam voraginem? quid eū non absorbere animo, quid nō haurire cogitatione, cuius sanguinem non bibere censetis? Virgil. Aeneid. 4.

Magnóque irarum fluctuat æstu: Ibidem.

Quæ bella exhausta canebat? Georg. 4.

Sol igneus orbem Hauserat.

Quæ sunt terræ, vt in orat. Inusitatas vias indagare, tritas relinquere. Aeneid. 5.

Et longæ sulcant vada salsa carinæ:

Pro Marcello. Omnium Marcellorum meum pectus memoria effodit. Atque hęc in simplicibus naturis: Compositæ autem sunt partim inanimæ, vt nubes, vt ea quæ gignuntur è terra, vt ea quæ opera hominum, & artificio fiūt: partim animatæ, vt plantæ, pecudes, homines. In vtroque genere translationis ornatus spectatur. Nam Cicero nubeculam frontis dixit illudens

Compositi ab elementis aut a natura aut ab arte aut animatae aut inanimae

illudens Piſonem: Et ruſticorum ſermo eſt gemmare vites.i.oculos emittere:& in ædificiis fundamentum, ianua, feneſtra, murus eiuſdem ſunt rationis. Cicero pro murena: Bene habet, iacta ſunt fundamenta defenſionis. Pro Planco: Qua nolui ianua ingreſſus ſum in cauſſam. Terentius, hui quantam feneſtram ad nequitiam patefeceris. Cicero in Cati: Dum memoria conſulatus mei veſtris erit infixa mentibus, firmiſſimo me muro ſeptum eſſe arbitrabor. Pro Sexto Roſcio: Domus officina nequitiæ, diuerſoriū flagitiorū omniū. Atq; (vt ſummatim cōplectar) huc referenda ſunt, quæ ſpectātur in artificiis hominum: qualia ſunt limare, fingere, pingere, formare, tingere, polire, ſarcire, diſſuere: vnde manant ornatiſſimæ, & ſuauiſſimæ trāſlationes, veritatem in diſputatione limare, crimen fingere, omnibus artis coloribus pingere, mentem formare, literis humanitatis tingere, orationem polire, vſuram temporis officio ſarcire, amicitias diſſuere. Quæ cum ita ſint, proximus locus de naturis anima præditis ita nobis explicādus eſt, vt à ſtirpib⁹ ad pecudes, à pecudibus ad homines delabatur oratio. E ſtirpibus illa habent ornatum, Philippica ſecunda: Gratia non virtutis ſpecie, ſed ætatis flore collecta. Pro Se-

ſtio:

ſtio: In dicendo omnes vndique floſculos carpam. in Bruto: Pericles floruit omni genere virtutis. Philippica quarta: virtus eſt vna altiſſimis defixa radicibus. in Tuſculanis: Non ſolum ramos amputare miſeriarum, ſed radicum fibras euellere. Pro quinto Roſcio: Nemo illum ex trunco corporis ſpectabat. in Piſonem: Gloria fructus virtutis. Nec minus venuſta ſunt quæ transferuntur è ſentientibus audire, cernere, olfacere, odor, dulcedo, guſtare, delibare: & quæ ſingulorum generum naturas propius attingunt. Virgilius Aeneidos. 4.

Summoque vlularunt vertice nymphæ.

In Bruto: Latrant quidam oratores, non loquuntur. pro Murena: Serpit hic rumor. Pro Flacco, homo volitans gloriæ cupiditate. Et partes corporis, corporiſque comites caput, ceruix, oculus, naſus, dens, os, fauces, latus, manus, pes, ſanitas, morbus, peſtis, vulnus, emungere, abſorbere, expectorare, præhendere. Quid verò de nominibus rerum humanarum loquar? quàm feſtiua ſunt? quàm venuſta? quàm ornata? Virgilius Aeneid. 4.

Suadentque cadentia ſydera ſomnos:

Ibidem, vocat iam carbaſus auras. Aegloga quarta:

Non varios diſcet mentiri lana colores.

Quid

Quid persequar multa multarum rerum nomina gignere, nasci, crescere, corroborare? quæ ita sunt in promptu, vt vix arte, & præceptis egeant: ita sunt excellentia, vt orationi clarissimum lumen adferant. Cic. 3. Catil. memoria vestra Quirites, nostræ res alentur, sermonibus crescent, literarum monumētis inueterascent, & corroborabuntur. Quare perspicuum est nihil esse in rerum natura, cuius non in aliis rebus possimus vti vocabulo. vnde enim simile duci potest (potest autem ex omnibus rebus) indidem verbum (vt ait Tullius) quod similitudinem cōtinet, translatum lumen adfert orationi. In primis autem videndum erit ei qui volet hac laude præstare, vt rei similitudo statim ostendat sese, ac sub acumen ingenij perspicuè subeat: vt cum Cicero dicit lumen orationis, generis claritatem, concionum procellas, fluctus & tempestates reipublicæ, eloquentiæ flumen, fontem, ac materiam gloriæ. & Actione septima: Ipse inflammatus furore in forum venit: ardebant oculi, totoque ex ore crudelitas emicabat. Secundū genus est eorum translatorum, quę cur pro aliis ponantur, similitudo non indicat: vt sacrilegium pro sacrilego, temeritas, pro temerario. Species quinque sunt, prima cùm caussæ pro suis effectis vsurpantur. Efficiens, vt Mars pro bello. Cice. pro Marcello: Quos amisi-

misimus ciues, eos Martis vis perculit, nō ira uictoriæ. Ceres pro fruge, Aeneid. 1.

Tum cererem corruptam vndis, cerealiaque
arma Expediunt:

Pars pro toto, vt tectū pro domo, puppis pro naui: genus pro specie, vt orator pro Demosthene, poëta pro Homero: materia pro re cō fecta, vt ferrum pro gladio, pinus pro naui. Secūda pro caussis effecta collocat, vt hilaris adolescētia, tristis senectus, pallida mors: Totū pro parte, vt Roma deflagrauit, id est, Romanum capitolium. Tertia est subiectorum pro adiunctis, vt homo deuoratur, id est hominis patrimonium. Quarta tertiæ cōtraria est adiunctorum pro subiectis: vt luxuries, pro luxurioso, scelus pro scelesto. Quinta spectatur in commutationibus dissentaneorū: vt cum aduersa sumuntur pro aduersis. O bone vir, id est male. Ex his autem omnibus quædam sunt licentiæ carminis quàm solutæ orationis liberiora: vt Ceres pro fruge, Bacchus pro vino: quædam ad vtrūque dicendi genus promiscuè pertinent, vt Roma pro romanis, vrbes bene moratæ, id est, ciues. Quare omnis h[illegible]borum singulorum duabus existit e[illegible]prium vel nouitate floridum, vel vetu[illegible] graue, & sanctum videatur, si translatum vel similitudinis ratione, vel alio quouis modo in oratione, tanquam luminosa

gemma

gemma ſplendeſcat.

Tranſeamus ad continuata, quæ ex ſingulorum compoſitione, & coniunctione conſtituuntur: in quorum laudibus, & ornamentis quatuor has res animaduertere oportebit, vt ſint recte collocata, vt numeroſa, vt figurata, vt decentia. Optimè verba collocantur, quæ inter ſe quam aptiſſimè, & ſuauiſſimè coagmentantur, præcedentia cum ſequentibus, vt neque ſæpius quàm patiantur aures, coeuntibus vocalibus hiare, neque duris, & aſperis conſonantibus rixari videatur oratio. Et quanquam in omni eleganti compoſitiõe lenis, & æquabilis coagmẽtatio verborum cõſeruanda eſt, verſus tamẽ maiorem diligentiam, quam ſoluta oratio poſtulabit: quod aurium ſeueriori iudicio perpenditur. Collocationis autem oratoriæ munus eſt inciſè, membratim, concluſe verba componere. Hæc igitur prima lex interuallorũ ſanciatur, vt membra, & periodi neque cõtractione celerius inſiſtant: neq; productione longius excurrant: ſed eorum curſus vt variè, & diſtinctè, ita moderatè cõficiatur. Inciſa greci κόμματα nominant interualla, & ſpa[illegible] orationis perfectam ſententi[illegible] [illegible]plectentia: in quibus illa eſt [illegible] [illegible]gans, nec iniucunda varietas, cum diſtinguitur nõnunquam ſingulis verbis: vt actio. 7. Hujus furta, rapinas,

rapinas,cupiditatem,crudelitatem, superbiã, scelus,audaciam,rerum gestarum magnitudine tegere conaris?Nonnũquã bina, pro [illegible] cello,verum animum vincere,iracundiam cohibere,victoriam temperare.Nõnunquã pluribus:ibidem,Nec contentionum magnitudine,nec numero præliorũ, nec varietate regionum,nec celeritate conficiendi, nec dissimilitudine bellorum posse conferri.Nonnũquam incisis incisa sunt inclusa:vt nullius tantum est flumen ingenij,nulla dicendi,aut scribendi tanta vis,tantaque copia, quæ non dicam exornare,sed enarrare [illegible] nas gestas possit.Membra,siue κῶλα [illegible] paulò propius accedunt ad perfectionem [illegible], & in oratoria collocatione vel duo [illegible] ponuntur:vt pro Marcello:Nunquam [illegible] temeritas cum sapientia commiscetur:nec ad consilium casus admittitur:vel plura.pro lege Manilia:Qui sæpius cum hoste conflixit, quàm quisquam cum inimico cõcertauit:plura bella gessit,quam cæteri legerunt: plures prouincias confecit, quam alij concupiuerũt. Con[illegible] ambitus,circuitus,[illegible]prehensio,con[illegible]tinuatio,circum[illegible]iptio, περίοδος est perfectus,& absolutus [illegible] ationis,siue interuallum plenam,[illegible] [illegible]ram sententiam comprehẽdens:cuius [illegible] distinctiones ornatus causa [illegible] sunt.Namque modo solis interpũ-

cta eſt inciſis.pro Mure.Sic à me conſul deſignatus defenditur,vt eius nulla fraus,nulla auaritia,nulla perfidia,nulla crudelitas , nullũ petulans dictum in vita proferatur. modò ſolis membris : pro eodem,Ergo & mihi meæ priſtinę vitæ conſuetudinẽ, Cai Cęſar,intercluſam aperuiſti:& his omnibus ad bene de republica ſperandum quaſi ſignum aliquod ſuſtuliſti.modo vtriſque permiſtis: ibidem, Quare gaude iſto tuo tam excellenti bono: & fruere cum fortuna, & gloria : tum etiam natura,& moribus tuis:ex quo quidem maximus eſt fructus,iucunditaſque ſapienti. Vtiliſſima collocationis eſt ratio ad bene,& ſuauiter dicendum:verùm multo magis obſeruatione eloquentiſſimorum hominum, & ſtylo,quàm præceptis perdiſcenda. Quamobrem collocandis verbis tantum diligentiæ tribuamus,vt in minutis ſingulorum ſtructuris nihil offendat, & interualla non ſolùm neceſſitate ſpiritus definiantur:ſed ſumma varietate, & ſuauitate componantur.Sequitur, vt quæ ſit numeroſa continuatio,dicendũ ſit: eam dico, quæ in modificato verborum curſu, numerum quendam eiicit,vt, Tantæ molis erat Romanam condere gentẽ: Et, Patris ſapiens dictum filij temeritas comprobauit.

Nu-

Numerus (quo nomine & rythmos, & metra ſignificari volumus) eſt concentus ex apta pedum modulatione cauſſa ſuauitatis excogitatus. Pars igitur numeri pes eſt, & eius dimenſio certis ſpatiis temporum definita. Pedum autem alij ſimplices, alij compoſiti. Simplices, aut binis conſtant ſyllabis longis Spondæus, vt Muſas: breuibus Pyrrichius, vt Deus: breui, longáque Iambus, vt opes: cui contrarius eſt è longa, & breui Choreus, vt Roma: aut ternis: Moloſſus longis, vt Romanos: Trocheus breuibus, vt legere: Dactylus longa, duabuſque breuibus, vt tytire: cui par eſt retroactus Anapæſtus, vt fluuios: Creticus media breui inter duas longas, vt iudices: cui contrarius Amphibrachys, vt parate: Bacchius duabus longis breuem ſequentibus, vt Athenæ: cui opponitur Pallimbacchius, vt vaſtare. Compoſiti fiunt ex ſimplicibus: Pean prior ex choreo, & pyrrichio, vt definite: Poſterior ex pyrrichio, & iambo, vt ſonipedes: Dochimus ex iambo, & cretico, vt Reipublicæ: Dichoreus ex duobus choreis, vt emicare: Procleuſmaticus ex duobus pyrrichiis, vt Valeria: Diſpondęus ex duobus ſpondęis, vt Mecœnates. Sunt autem duæ formæ numeroſæ continuationis carmen, & oratio

liberior, quam Fabius vinctam nominat. Carmen à capite numerose voluitur ad finem: & certo spatio non sententiæ quidem semper, (vt oratio vincta) sed pedũ cõcluditur. Aen. 1.

Arma virũq; cano Troiæ qui primus ab oris.

Dictum canendo, quod musicis cantibus sit aptius, quã liberior oratio. Genera eius multa sunt: numerus enim potest infinitis pene modis in continuatione verborum variari: ideóque melius exemplis poëtarum, quam præceptis hæc ipsa cognoscenda sunt. Insigne autem, & vsitatum maxime video heroïcum senarium: quod in principiis, & mediis habet promiscuè dactylum, & spondęũ, in fine spõdęum, quem dactylus proxime antecedit. Aeneid. 1.

Vrbs antiqua fuit, Tyrij tenuere coloni.

Elegum pentametrum à senario nũquam separatum est: cuius duæ primæ dimensiones indifferenter dactylum, & spondæum, tertia semper spõdæum, reliquæ duæ anapestos habent. Mart. lib. 6.

Nescio quid plus est, quod donat sęcula chartis
Victurus genium debet habere liber.

Phaleucium vtitur primum spondæo, deinde dactylo, quem tres trochęi sequuntur. Catull.

Passer mortuus est meæ puellæ.

Reliquorum generum exempla poëtæ nobis suppeditabunt: qui cum in summo ocio blan-

blandissimis aurium voluptatibus inseruiret, versus inuenerunt, & concentus orationis suauitate delectabiles, multitudine prope infinitos, varia dimensionum collocatione discrepantes: neque tamen sic omnes numerorum varietates sunt complexi, vt nullus postea esset ad inuentionem noui carminis aditus. Secunda forma numerosæ continuationis est oratio partim soluta, partim vincta, non tota constans numeris, neque omnino sine numeris vagans, sed interuallorum longorum, & breuium iucunda varietate nonnunquam implicata, atque permista: in hac enim non licebit ad strepitum digitorum decēdere, ne poëma videatur: sed cùm in membrorum, comprehensionumque principiis, & clausulis pedes variè, & distinctè collocaueris, media soluere, ac relaxare oportebit. Pedes autem in principiis omnes esse possunt: sed excellunt maxime Spondæus, vt pro lege Manilia: Quanquam mihi frequens conspectus vester: Dactylus, Et quoniam semper appetentes gloriæ, præter cæteras gentes, atque auidi laudis fuistis: Anapestus, Vtinam Quirites. Virorum fortium &cęt. Sinite hoc ioco Quirites &cæt. Pean prior, Actio. quarta, multa mihi necessario prætereunda sunt iudices. Creticus, Actio quarta: Neminem vestrum ignorare arbitror iudices. Molossus,

iam verò virtuti Cnei Pompeij quæ poteſt par oratio inueniri? Dichoreus, Hoc breuiſſimè dicam, neminem vnquam tam impudentem fuiſſe &c. Clauſulis item omnes conueniunt: ſed aptiſſimè cõſidunt. Dichoreus. pro Marc. Quo ſtudio incendimur, vt eos ſæpe quos nũquã vidimus, diligamus? Et, Nobiliſſimamque familiam iam ad paucos redactam penè ab interitu vindicaſti. Diſpõdeus: Quibus ſtudiis proſequemur: qua beneuolentia cõplectemur? Moloſſus: Quaſi quodam ſocio à me, & comite diſtracto. Creticus: Non ego eum ſummis viris comparo, ſed Deo ſimillimum eſſe iudico. Dactylus, pro eodem: Tantum abes à perfectione maximorum operũm, vt fundamenta quæ cogitas nondum ieceris. Quoniam igitur habemus quæ ſit in oratoria cõtinuatione collocatio verborum, ratioque numerorũ, proximũ eſt, vt tertio loco figuras, ſeu ſchemata orationis conſideremus. Quamuis omnis oratio qualiſcunque ſit, figuram quandam, & habitum habeat: inſignis tamen orationis ſpecies, & non vulgaris hanc appellationem dignitatis iure ſibi vendicat: quemadmodum apud Græcos Homerus commune nomen poëtarum ſuum effecit. In continuatione autem orationis Rhetores duplicem figu-

ram eſſe volunt, vnam ſententiarum, alteram verborum: & illam eſſe ornamentum in conformãdis venuſtè ſententiis, quod permanere poſſit, quibuſcunque verbis vti velis: hanc in verborum modo & ſpecie habere côcinnitatem, & condecentiam, quæ permutatis verbis ſæpe tollatur, vt in explicatione partium plenius intelligetur. Ex figuris ſententiarum vna eſt ἐνάργεια euidens, & illuſtris explanatio, qua res penè ſub aſpectum ſubiiciuntur. hoc ſchema cum rem ante oculos conſtituat, in maximis affectibus dominatur: fitque ſępe ex conglobatis effectis, aut ex cumulatis adiunctis, aut ex comparatione ſimilium, pariũ, minorũ, maiorũ. Ex effectis, Cicero ſepti. Actione: Procedit iſte repente ex prætorio, inflammatus ſcelere, furore, crudelitate in forum venit: Nauarchos vocari iubet: qui nihil metuerent, nihil ſuſpicarentur, ſtatim adcurrunt: iſte hominibus miſeris, innocentibusque iniici catenas imperat: implorare illi fidem populi Romani, & quare id faceret rogare. Tota hæc deſcriptio fit illuſtris ex factis Verris tũ venientis in forum, tũ catenas imperantis: & Nauarchorum tum accurrentium, tum clamãtium in medio foro. In eadem Actione: Hoc cum maximè loqueretur, ſex lictores circũſiſtũt valẽtiſſimi,

& ad pulſandos, verberādóſque homines exercitatiſſimi: cædūt acerrime virgis: denique proximus lictor cōuerſo bacillo oculos miſero contundere vehementiſſimè cœpit. Hoc lumine poëta formicarum laborem illuſtrauit, Aeneidos. 4.

It nigrum cāpis agmen, prædamq; per herbas
Cōuectant calle anguſto, pars grādia trudunt,
Obnixè frumēta humeris: pars agmina cogūt
Caſtigantq; moras: opere omnis ſemita feruet.

Et expugnationē regiæ Priami, Aeneid. 2.

At domus interior gemitu, miſeroq; tumultu
Miſcetur: penitúſque cauę plangoribus ædes
Fœmineis vlulant: ferit aurea ſydera clamor.
Tum pauidæ tectis matres ingentibus errant:
Amplexuq; tenent poſtes, atq; oſcula figunt:
Inſtat vi patria Pyrrhus: nec clauſtra, nec ipſi,
Cuſtodes ſufferre valent: labat ariete crebro
Ianua, & emoti procumbunt cardine poſtes.
Fit via vi: rumpunt aditus: primóſq; trucidāt,
Immiſſi Danaï: & late loca milite cōplēt.

Ex adiunctorū frequētia hoc modo. Cic. 2. Agra. iam deſignatus alio vultu, alio vocis ſono, alio inceſſu eſſe meditabatur, veſtitu obſoletiore, corpore inculto, & horrido, capillatior quam ante, barbaque maiore. Act. 7. Stetit ſoleatus prætor populi Romani cum purpureo pallio, tunicaque talari muliercula nixus in littore.

littore. Catil. 4. Videor enim mihi videre hāc vrbem lucem orbis terrarum, atque arcem omnium gentium ſubito vno incendio concidentem: Cerno iam ſepultam patriam, miſeros, ac inſepultos aceruos ciuiū: verſatur ante oculos aſpect⁹ Cethegi, & furor, in veſtra ſede bacchantis. Poſt reditum ſuum: Primum proceſſit, qua authoritate vir? vini, ſomni, ſtupri plenus, madenti coma, compoſito capillo, grauibus oculis, fluentibus buccis, preſſa voce, & temulenta, Catil. 2. Huiuſmodi lumen accipit deſcriptio ſonipedis, Aeneid. 4.

Oſtroque inſignis, & auro
Stat ſonipes, ac fręna ferox ſpumantia mādit:
et Didonis inſtructæ ad venationem,
Tādem progreditur magna ſpectante caterua
Sidoniam picto chlamidem circūdata limbo:
Cui pharetra ex humero, crines nodantur in aurum:
Aurea purpuream ſubnectit fibula veſtem:
& Aeneæ cum Didone venantis.
Atque illi ſtellatus iaſpide fulua
Enſis erat, tyrióque ardebat murice læna
Demiſſa ex humeris: diues quę munera Dido
Fecerat, & tenui telas diſcreuerat auro.

Plurimum etiam ad inferendam rebus lucem comparationes valebunt. Cicero pro Roſcio Comædo: Nónne vt ignis in aquam coniectus continuo reſtinguitur, & refrigeratur, ſic

Ex comparatione

sic reseruens falsum crimen in purissimam, & castissimam vitam collatum statim concidit, & extinguitur? Catil. 1. vt sæpe homines ægri morbo graui cum æstu, febrique iactantur, si aquam gelidam biberint, primo releuari videntur, deinde multo grauius, vehementiusque afflictantur, sic hic morbus qui est in republica, releuatus istius pœna vehementius viuis reliquis ingrauescet. Aeneidos secundo de Troianis in extremam rabiem versis,

Sic animis iuuenū furor additus: inde lupi ceu
Raptores atra in nebula quos improba vētris
Exegit cæcos rabies, catulique relicti,
Vadimus haud dubiam in mortem, mediæq;
tenemus Vrbis iter-

Ouid Fastorum. 2.

Ecce velut torrens vndis pluuialibus auctus,
Aut niue, quæ zephyro victa tepente fluit,
Per sata, perq; vias fertur, nec (vt ātē solebat)
Riparum clausas margine finit aquas,
Sic Fabij vallem latè discursibus implent:
Quodq; vident, sternūt: nec metus alter inest.

Addubitatio, ἀπορία, vel διαπόρησις præ se fert solliciti hominis, & in consilij perturbatione hæsitantis affectum. Pro Sexto Roscio. Quid primum quærar? aut vnde potissimum, iudices, ordiar: aut quod? aut à quibus auxilium petam? deorúm ne immortalium? populí ne Romani? vestrámne, qui summam potestatem

ſtatem habetis, hoc tempore fidem implorem? Aeneid. 4.

Heu quid agat? quò nunc reginam ambire
furentem.
Audeat affatu? & quæ prima exordia ſumat?

Act. 7. Quid agam iudices, quo accuſationis meæ rationem conferam? quo me vertam? ad omnes enim impetus quaſi murus quidam boni nomen imperatoris opponitur. pro Cluentio, Equidem quod ad me attinet, quo me vertam neſcio: Negem fuiſſe illam infamiam iudicij corrupti? negem illam rem agitatam in concionibus? iactatam in iudiciis? commemoratam in Senatu? Agraria ſecunda: De me autem ipſo vereor ne arrogantis ſit apud vos dicere, ingrati tacere. Pro Ligario, Itaque quo me vertam neſcio. In Salluſtium, Quo me vertam patres conſcripti? vnde initium ſumam? maius enim mihi dicẽdi onus imponitur, quo notior eſt vterque noſtrum. Aene. 4.

En quid agam? rurſus ne procos irriſa priores
Experiar? Nomadúq; petã cõnubia ſupplex,
Quos ego ſum toties iam dedignata maritos?
Illiacas igitur claſſes, atque vltima Teucrum
Iuſſa ſequar?

Communicatio eſt cum aliis quædam conſultatio, ac deliberatio. Cicero pro Quintio, Quæro abs te Caij Aquilli, Luci Lucullle, P. Quintili, Marce Marcelle, Vadimonium

Communicatio cu[m] videtur orator c[on]siliu[m] ab auditoribus quærere.

mihi

mihi nō obiit quidam socius, & affinis meus non multum me fallit, si consulamini quid sitis responsuri: primum expectare, deinde si latitare, ac diutius ludificare videatur, amicos conuenire. Actio. 2. Nunc ego, iudices, iam vos consulo, quid mihi faciendum putetis. pro Cecinna: Te vti in hac re magistro volo: quæro sítne aliqua huius rei actio, an nulla? pro Rabi. perduel. reo, tu denique, labiene, quid faceres tali in re, ac tempore? cùm ignauiæ ratio te in fugam, atque latebras impelleret: improbitas, & furor Lucij Saturimij in capitolium arcesseret: Consules ad patriæ salutem, ac libertatem vocarent: quam tandem authoritatem, aut quam vocem, cuius sectam sequi, cuius imperio parere potissimū velles?

Licentia παῤῥησία est orationis libertas, atque fiducia liberius affectum mentis exprimens. Cicero Agraria. 1. his ego rebus, patres conscripti, resistam vehementer, atq; acriter: neque patiar homines ea me consule expromere, quę cōtra Remp. cogitarint. Agraria. 2. Ego autem non solum in hoc loco dicam, vbi est dictu facillimum, sed in ipso senatu, in quo esse locus huic voci non videbatur, popularem me futurum esse consulem. Pro Sylla: Adeste omnes animis, qui adestis corporibus: erigite mentes, aureśque vestras, & me de inuidiosis rebus (vt ille putat) dicentem attendi-

te

te.ego consul cùm exercitus ciuium clãdestino scelere conflatus crudelissimum, & luctuosissimum exitium patriæ comparasset,incen sione vrbem,internecione ciues,vastitate Italiam,interitu remp.liberaui. pro Domo sua: Quare disrumpatur licet ista furia:atque audiat hæc ex me,quoniam lacessiuit:bis seruaui,vt consul togatus armatos vicerim:priuatus consulibus armatis cesserim.pro Ligario: Quãtum potero voce contendam,vt hoc populus Rom.exaudiat &c. Excitat licentia tragœdias in obiurgationibus.Aeneid.1.

Tantáne vos generis tenuit fiducia vestri,
Iam cœlum,terramq́ue meo sine numine vẽti
Miscere,& tantas audetis tollere moles?
Quos ego?sed motos præstat componere fluctus: Maturate fugam,

Præsumptio, πρόληψις est rei alicuius anteoccupatio:eaque duplex est, vna obiectionis, altera depulsionis.Prioris exempla sunt in oratione pro Quintio, vbi obiectiones Hortensij præsumuntur, & ratione dissoluuntur. Spectatur hoc ornamentũ plerunque in prooemiis.Cicero pro sexto Roscio. Credo ego vos, iudices, mirari quid sit, quòd cùm tot summi oratores, hominesque nobilissimi sedeant,ego potissimum surrexerim:qui neque ætate,neque ingenio, neque aurhotitate sim cum iis qui sedeant,comparandus.In diuinatione

Presumptio vel pre- occupatio dupl. & obiectionis et depulsionis

tione: Si quis veſtrum iudices, aut eorum qui adſunt fortè miretur &cæt. Catilina ſecunda, At ſi quis eſt talis, quales eſſe omnes oportebat, qui hoc ipſo, in quo exultat, & triumphat oratio mea, me vehementer accuſet: quod tam capitalem hoſtem non compræhenderim, potius quam emiſerim. pro Archia poëta: Ac ne quis à nobis hoc ita dici fortè miretur, &cæt. pro Cælio: Si quis iudices fortè nunc adſit ignarus legum, iudiciorum, conſuetudinis noſtræ, miretur profectò quæ ſit tanta atrocitas huius cauſſæ, quod diebus feſtis, ludiſque publicis, omnibus negociis forenſibus intermiſſis hoc vnum iudicium exerceatur. Ouid. libro decimotertio Metamorph.

Huic modo ne proſit, quod vt eſt hebes, eſſe
 videtur:
Neúe mihi noceat, quod vobis ſemp Achiui
Profuit ĩgeniũ: meaq; hęc facũdia (ſi qua eſt)
Quæ nũc ꝓ domino, ꝓ vobis ſępe locuta eſt,
Inuidia careat, bona nec ſua quiſque recuſet:

Vlyſſes orditur ab occupatione eloquentiæ, quam aduerſarius in armorum contentione vocauit in inuidiam. Commendatur etiam præſumptio in aliis partibus orationis. pro lege Manilia: Requiretur fortaſſe nunc quemadmodum (cùm hæc ita ſint) reliquum poſſit eſſe magnum bellũ: pro Cælio. Dicet aliquis. hæc

hæc igitur eſt tua diſciplina?ſic tu inſtituis adoleſcentes?Secũdum genus quod pręcurrit, & inuadit depulſiones aduerſariorum multũ habet cum roboris,tum gratiæ: quo Cicero paſſim eſt vſus in actionibus: occupauit enim quod Hortenſius reſpondere poſſet pro Verre: idque vehementiſſime infirmauit: vt Act.7.Noui locum:video vbi ſe iactaturus ſit Hortenſius:belli pericula,tempora reip.imperatorum penuriam commemorabit,tum deprecabitur à vobis:tum etiam pio iure ſuo cõtendet,ne patiamini talẽ imperatorẽ: populi Ro. ſiculorũ teſtimoniis eripis, né ve obteri laudẽ imperatoriã criminib⁹ auaritiæ velitis.

Exclamatio,eſt orationis vehementior elatio:quę ſæpius vtitur particulis,O,pro,heu, eheu,variasque animorum cõmutationes declarat.Cic.pro Quint. O rem incredibilem: O cupiditatem inconſideratam.Pro Milone: O fruſtra ſuſcepti mei labores, ô ſpes fallaces,ô cogitationes inanes meæ. Pro Quinto Roſcio:Pro deum,atque hominum fidem.Officiorũ primo:O domus antiqua, heu quàm diſpari domino dominaris. Aeneid.4.

Heu vatum Ignaræ mentes.
Et,Heu regni,rerumque oblite tuarum,
Et,Heu furiis incenſa feror.

1 Antequam iret in exilium.
Eheu cõditionem huius temporis.Virgil.

E heu

Eheu quid volui misero mihi:

Adhibetur hęc virtus ad illudēdum. Pro Sexto Roscio: O pręclarum testem iudices, ô grauitatem dignam expectatione. Pro Balbo: O præclarum interpretem iuris: authorem antiquitatis, correctorem, atque emendatorē nostræ ciuitatis. In Pisonē: O stultos Camillos, Curios, Fabricios, Calatinos, Scipiones, Marcellos, Maximos: O amētem Paulũ, rusticum Marium, nullius cōsilij patres istorum amborum, qui triumpharunt. Philippica. 3. O præclarum custodē ouium (vt aiunt) lupum: Habet interim admirationem, Catilina. 1. O dij immortales vbinam gentium sumus? Pro Ligario: O clementiam admirabilem, atque omni laude prædicatione, literis, monumentísque decorandam. Admmittit cōmiserationē. Pro Sexto Roscio: O dij immortales rem miseram, atque calamitosam. Actio. 7. O spectaculum miserũ, atque acerbum: O magnũ, atque intolerandum dolorem. Aeglo. 1.

En quo discordia ciues
Perduxit miseros, en queis cōseuimus agros.

Aeneid 4. Heu quibus ille
Iactatus fatis quæ bella exhausta canebat?

Prorumpit in detestationē. Cati. 1. O tempora, ô mores. In Pisonem: O scelus, ô pestis, ô labes. Ibidem. O tenebræ, ô lutum, ô sordes. Item ô pœna, ô furia sociorum. Philippica. 2.

O te

O te miſerum ſi intelligis: miſeriorem ſi non intelligis. Sub hoc genere ſunt Acclamationes, & epiphonemata in extremis clauſulis elegantiſſimè poſita Aeneid. 7.

Tantæ molis erat Romanam condere gẽtem.

Aeneidos quarto:

Improbe amor quid non mortalia pectora cogis? Aeneid. ſexto:

Et dubitamus adhuc virtutẽ extẽdere factis?
Aut metus Auſonia prohibet cõſiſtere terra?

Deprecatio, ſupplicatio, inuocatio, δέησις & deos, & homines, & alias res aliquid rogare conſueuit: Deorum numen imploratur magnis in rebus. Cicero Actio. 7. Te nunc Iupiter optimè &c. Pro Rab. perduel. reo: Ab Ioue optimo maximo, cæteriſque diis immortalibus pacem, ac veniã peto. Pro domo ſua: Quocirca te Capitoline, quem propter beneficia popu. Rom. optimum, propter vim maximum nominauit, teque Iuno regina, & te cuſtos vrbis Minerua precor, & quęſo. Aeneid. primo.

Muſa mihi cauſas memora. & nono ad Lunã:

Tu dea, tu præſens noſtro ſuccurre labori:
Aſtrorum decus, & nemorum latonia cuſtos.

Metamor. primo:

Dij cœptis (nam vos mutaſtis & illas)
Aſpirate meis.

Deprecamur homines cùm auxilium, aut ve-

niam,aut aliquid aliud petimus,aut alios commendamus.pro Quintio,te Caij Aquili vósq; qui adestis in iudicio orat,atque obsecrat.Pro Sexto Roscio:Te quoq; Marce Fanni quæso &c.Item,quæso hoc Eruci in bonam partem accipias.Aeneid.4.

Quod te per cœli iucundum lumen, & auras,
Per genitorem oro,per spem surgentis Iuli
Eripe me his inuictæ malis.

Deprecamur quoque res alias,vt Cicero philosophiam.Tuscu.Quinta:Ad te cõfugimus: à te opem petim⁹:tibi nos(vt antea)magna ex parte,sic nũc penitus, totósque dedimus. Pro Milone:vos Albani tumuli atque luci vósque inquam,imploro,atque obtestor: vósque Albanorum obrutæ arę sacrorum populi Rom. sociæ,& æquales.Virgil.Georg.1.

Vos ô clarissima mundi
Lumina labentem cœlo quæ ducitis annum
Liber & alma Ceres &c.

Prosopopeia est ficta personarũ inductio, per quam res cuiuscunque generis sint, vocem, & sermonem possunt accipere. Hæc vel plena est,vel quodammodo muta.Plena cùm tota fictio personæ, & orationis repræsentatur: muta,cum obliquæ allocutiones introducũtur.Plenæ sermocinationum duo sunt genera,vnum continens,alterum concisum.Continens constat perpetua,& nõ interrupta cõtinuatione

tinuatione ſermonis. Cicero pro Sexto Roſcio: Patrem meum cùm proſcriptus non eſſet, iugulaſtis, occiſum in numerum proſcriptorum retuliſtis, me domo mea per vim expuliſtis. huiuſmodi ſunt fictiones in diuinatione, Vna Siciliæ, vt, Sicilia tota ſi vna voce loqueretur, hoc diceret: quod auri, quod argenti, quod ornamentorum in meis vrbibus, ſedibus, delubris fuit, quod in vnaquaque re beneficio ſenatus, populique Rom. iuris habui, id tu mihi Caij Verres, eripuiſti, atq; abſtuliſti. Altera Siculorum, ſi tibi Quinte Cecili hoc Siculi dicerent, te nô nouimus, neſcimus qui ſis, nûquam te anteà vidimus. Aeneidos quarto:

Dixitque nouiſſima verba,
Dulces exuuiæ dum fata, deuſque ſinebant,
Accipite hâc animam, meque his exoluite curis.
Vixi & quem dederat curſum fortuna, peregi:
Et nûc magna mei ſub terras ibit imago,
Vrbem præclaram ſtatui: mea mœnia vidi.

Actio. ſepti. Vna eſt Tindaritanorum, altera patris Verris filium alloquentis. Catil. 1. Duæ patriæ conquerentis: pro Planco Duæ populi ad Laterenſem: pro Cælio quattuor: In Piſonê vna: pro Milone tres: ꝓ Ligario totitidem. Hac iucunda varietate, & elegantia poëtæ ſæpe, & hiſtorici relaxant animos

legentium:tantamq; habent in fingendis alienis sermonibus rationem & dignitatis, & locorum,& temporum , & momentorum omnium,vt qui hæc legant,non ficta,sed facta esse arbitrentur:vt apud Græcos Thucydides, apud Latinos Liuius,Virgil. Ouid. qui magnis in operibus multas interponunt fictas orationes.Hæc eadem cõformatio interdum alienas cogitationes subiicit : vt Caij Verris Act 7.Occurrebat hæc ratio: quid Cleomeni fiet?Poteróne animaduertere in eos , quos dicto audientes esse iussi,missum facere eum, cui imperium,potestatemque permisi? Prosopopeia concisa dialogismus appellatur : estq; vel totius orationis:vt comœdia,tragœdia,disputationes Platonis, & Ciceronis de philosophia : vel partibus orationis inseritur . pro Planco:Male iudicauit populus, at iudicauit: non debuit,at potuit:non fero,at multi clarissimi,& sapientissimi ciues tulerũt. pro Sylla: Cur dixisti testimoniũ in alios? quia coactus sum : Cur damnati sunt ? quia creditum est. Actio septima:Cleomenem nominare non licet , at caussa cogit:moriere si appellaueris , at remiges non erant: Prætorem tu accusas? frange ceruicem . Obliqua locutio est apud Ciceronem in Diuinatione : Dicebam eos habere Quintum Cæcilium , qui præsertim quæstor in eadem prouincia post me fuisset.

Apud

Apud Liuium libr.1.Vrbes, & cętera ex infimo naſci:deinde quæ ſua virtus,ac dij iuuẽt magnas ſibi opes, magnum ſibi nomẽ facere. Apud Cæſarem in commentariis hoc genus eſt vſitatiſſimum, vt lib. 1. oratio legatorum Heluetiorum:Qui dicerẽt ſibi eſſe in animo ſine vllo maleficio iter per prouinciam facere:propterea quod iter haberẽt nullum aliud, rogare, vt eius voluntate id ſibi facere liceat.

Allegoria eſt inuerſio ſermonis:cùm aliud dicitur,aliud intelligendum eſt. Eius duæ ſunt ſpecies,aut enim per ſimilitudinem proxima aliqua ſignificatio accipitur: & allegoria nomine generis dicenda eſt:aut cõtraria,& Ironia vocatur.Superior nonnunquam ex continuis tranſlationibus gignitur.Cic.pro Quintio,Ita fit vt qui tela depellere , & vulneribus mederi debeam,tum id agere cogar, cùm etiã telum aduerſarius nullum iecerit. pro Murena:Quo me tãdem animo eſſe oportet , prope iam ex magna iactatione terram vidẽtem, in eum,cui video maximas reip. tempeſtates eſſe ſubeundas?de reſpõ.Aruſpicum: Etiámne in ſinu , atque deliciis quidam optimi viri viperam illam venenatam, ac peſtiferam habere potuerunt?In Piſonem:Neque tam timidus fui,vt qui in maximis turbinibus, ac fluctibus reipublicæ nauem gubernaſſem , ſaluamque in portu collocaſſem,frontis tuę nu-

beculam,tum collegæ tui contaminatum ſpiritum pertimeſcerem. alios ego vidi ventos: alias proſpexi animo procellas: aliis impendentibus tempeſtatibus nõ ceſſi. Oratio pro Cælio multis locis habet hoc integumentum allegoriæ ad excuſandas adoleſcentiæ voluptates,ad eludẽdam querelam Clodię,ad notandum importunam eiuſdem mulieris libidinem.Huc pertinet prouerbium tritum cõmuni ſermone.Cicero pro Murena inuentus eſt ſcriba Cne.Flauius qui Cornicum oculos confixerit.Ibidem,intus,intus(inquam)eſt equus Troianus:à quo nunquam me conſule dormientes opprimemini.pro Cælio:Emerſiſſe aliquando,& ſe ad bonam frugem(vt dicitur) recepiſſe.Philipica tertia:O pręclarum cuſtodem ouium (vt aiunt) lupũ. pro Flacco quatuor ſunt,in Phryges,Cares,Miſos,& Lydos. Eodem referuntur ænigmata. Cicero pro Quintio: Multos cęſos nõ ad Traſumenum lacum,ſed ad Seruilium vidimus: quis ibi non eſt vulneratus ferro phrygio? Virgilius:Aegloga tertia.

Dic quib⁹ ĩ terris,et eris mihi magn⁹ Apollo,
Treis pateat cœli ſpatium nõ amplius vlnas.
Dic quibus in terris inſcripti nomina Regũ
Naſcantur flores,& Phyllida ſolus habeto.

Secunda ſpecies allegoriæ Ironia, ſiue diſſimulatio ad illudendum magnam vim habet:

vt

vt pro Quintio: Ita credo hominem propinquum, tui obseruantem, virum bonum, pudētem, maiorem natu nolebas, aut non audebas appellare. Itē, credamus hoc Sextū Næuiū cuius caput oppugnet, ei⁹ aurib⁹ pepercisse. Ae. 4.

Egregiam verò laudē, & spolia ampla refertis
Tuq; puerq; tu⁹: magnū, et memorab. numē.
Vna dolo diuum si fœmina victa duorum est.

Optatio habet voti significationem, vt pro lege Manilia: Vtinā (Quirites) virorum fortiū, atque innocentium tantam copiam haberemus, vt hæc deliberatio vobis difficilis esset, quénam potissimum tantis rebus, ac tanto bello præficiendum putaretis. pro Rab. perduel. reo: Vtinam mihi facultatem caussa concederet, vt possem hoc prædicare, Caij Rabirij manu Lucium Saturninum hostem populi Romani interfectum. Aegloga octaua,

En erit vnquam
Ille dies mihi, cùm liceat tua dicere facta?
En erit, vt liceat totum mihi ferre per orbē.
Sola Sophoclæo tua carmīa digna cothurno?

pro Murena: Dij faxint, vt meus collega vir fortissimus hoc Catilinæ nefariū latrociniū armatus opprimat. Phili. 2. Vtinam aliquando dolor pop. Ro. pariat, quod iamdiu parturit. Salutatio Carmentæ libr. 1. Fastorum voti & desiderij plena est,

Dijque petitorum (dixit) saluete locorum;

Tuque nouos cœlo terra datura deos:
Fluminaq;,& fõtes,quibꝰ vtitur hospita tellꝰ:
Et nemorum nymphæ,Naïadumq; chori.

Virgilius.Aeneid.7.

Salue fatis mihi debita tellus.
Vosq;,ait,ô fidi Troiæ saluete penates.

Concessionis vsus elegãs est,cùm id quod cõceditur,stat à nobis, & aduersæ parti nocet. Pro Quintio: Verùm id concedo tibi, vt ea prætereas,quę cùm taces,nulla esse concedis. Act.7.Sit sacrilegus,sit fur:sit flagitiorum omnium,vitiorumque princeps: at est bonus imperator.Aeneid.4.

Esto ægram nulli quondam flexere mariti.

At quemadmodũ cõcessio in obiectionis approbatione,ita huic finitima permissio in facti, reique alicuius condonatione eleganter vsurpatur.Cicero Agraria.1.Si quid est,quod indagaris (quanquam iniquum est) tamen cõsume sanè.de prouinciis consu. Lateant libidines eius illæ tenebricosæ,quas fronte, & supercilio,non pudore,& temperantia contegebat.In Vatinium: Licet impune per me parietes in adolescentia perfoderis, vicinos compilaris, matrem verberaris: habeat hoc præmium tua indignitas,vt adolescentiæ turpitudo obscuritate, & sordibus tuis obtegatur. Aegloga secunda.

Pallas quas condidit,arces Ipsa colat:

Appa-

Apparet nonnunquã in hoc genere apertior ironia. pro Flacco: Litemus igitur Lentulo, parentemus Cethego, reuocemus eiectos: nimiæ pietatis, & summi amoris in patriam vicissim nos pœnas (si ita diis placet) sufferamus. Aeneid. quarto:

I, sequere Italiã ventis, pete regna per vndas.

Sequuntur incrementum, & diminutio: illud augendis, atque attollendis rebus accommodatum: hæc deprimendis, atque abiiciendis. Summa autem laus eloquentiæ (ait Cicero) est amplificare rem ornando: quod valet non solum ad augendum aliquid altius dicendo, verumetiam ad extenuandum, atque abiiciẽdum. Vtrumque duobus modis efficitur, cõparatè, & simpliciter: rursúsque vtrumq; spectatur tum in longo tractu orationis, tum in certis articulis, atque membris. Nam Cicero cum elusisset, atque eleuasset scientiam iuris inanissimã prudẽtiæ, fraudis, & stultitiæ plenissimam, tanquam è regione huic opposuit amplitudinem, & gloriam bellicæ virtutis: & in vtraque re per contẽtionem illinc minuẽda, hinc augenda diutius est commoratus. In actionibus verò crimina Verris simpliciter magnitudine suæ indignitatis exaggerantur: in caussa Cælij querelæ muliebres sua leuitate contemnuntur, & extenuantur. Sed hæc sunt longioris orationis ornamẽta: Breuius

ūius eſt exemplum comparationis. pro Sexto Roſcio: Prædia mea tu poſſides, ego aliena miſericordia viuo: & quod animus æquus eſt, & quod neceſſe eſt: mea domus tibi patet, mihi clauſa eſt, fero, mea familia maxima vteris? ego ſeruum habeo nullum: patior, & ferēdum puto. Quid vis amplius? Quid inſequeris? ex contentione amplificatur illinc potentia, Chryſigoni, hinc inopia Sexti Roſij. Creſcit aliis modis oratio per collationē minorũ, vt Actio.7. Facinus eſt vincire Ciuem Rom. prope ſcelus verberare, parricidium necare, quid dicam in crucē tollere? per diſſentanea. pro Marcello: nō eũ ſummis viris cōparo, ſed deo ſimillimũ iudico. Actio.3. Nō enim furē ſed ereptorem, non adulterũ, ſed expugnatorem pudicitiæ, non ſacrilegũ, ſed hoſtē ſacrorum, religionũque, non ſicarium, ſed crudeliſſimum carnificē ciuium, ſociorũque in veſtrũ iudicium adduximus. Eadē eſt ratio minuendi. Cicero pro Quintio: verùm ita ſe res habet, vt ego qui neque vſu ſatis, & ingenio parum poſſum, cum patrono diſertiſſimo comparer. Agraria 2. Neſcio quid illum de lege Agraria voluiſſe dicere ſuſpicabātur. Aeglo.3 Cantando tu illum? aut vnquam tibi fiſtula cera
Iuncta fuit &c. Aeneid.4.
Et nunc ille Paris cum ſemiuiro comitatu
Mœonia

Mœonia mentum mitra, crinemq́; madẽtem,
Subnixus rapto potitur.

Interrogatio figurata non quærit rem dubiã, sed ad odium, inuidiã, misericordiam, lætitiã, spem, molestiam, omnésque animorum commutationes cõuertitur: nihil enim est tam flexibile, neq; quod tam facilè sequatur quocũque ducas, quã interrogatio. pleni sunt poëtarum libri, plenæ actiones, plena exemplorum vetustas, ex quibus hoc vnum sit. pro Ligario: quid enim tuus ille Tubero districtus in acie pharsalica gladius agebat, cuius latus ille mucro petebat, qui sensus erat armorum tuorum, quæ tua mens? oculi? manus? ardor animi? quid cupiebas? quid optabas? Aneid. 4.

Non arma expedient, totaq́; ex vrbe sequẽtur?

Item: Non fletu ingemuit nostro?
Non lumina flexit?

Proxima est subiectio ad id quod proponitur prõpta, & expedita redditio, cuius tres sunt modi: aut enim in alterã tãtũ partẽ, aut in vtrãq;, aut in neutrã cadit interrogatio. in alterã tãtũ. pro lege Manilia: Quid est tã nouũ quã adolescẽtulũ priuatũ difficili Reip. tẽpore exercitũ cõficere? confecit: huic præesse? præfuit: rẽ optimè ductu suo gerere? gessit. pro Ligario: Apud quẽ igitur hęc dico? nẽpe apud eũ q cũ hoc sciret, tamẽ ãteq́ me vidit, reip. reddidit: ĩ vtrãq;. pro Quint. Mittis iussu prætoris, quo consilio?

conſilio?iuſſurum ſciebas?quid? cùm iuſſiſſet, tum mittere nónne poteras?in neutram:Cicero in Parado. Vocat,veniendum:poſcit, dandum:eiicit,abeundum:minatur, extimeſcendum. Antequam iret in exilium, Vim volunt afferre,præſto ſum:eiicere volunt,exeo indicta cauſſa:nolunt audire,cauſſam non dico:aliud quippiam conantur,agant. Acti.3. Pater dat filiæ,prohibes:leges ſinunt, tamen te interponis. Suſtentatio ſuſpendit animos, vt aliquid ſubiiciat inopinatum. Actio.7. Quid cenſetis? furtum fortaſſe, aut prædam expectatis aliquam:nolite vſquequaque quidem quærere.& paulopóſt ait: Expectate facinus quàm vultis improbum: vincam tamē expectationem omnium.nomine ſceleris,coniurationiſq; damnati, ad ſupplicium traditi, ad palum alligati,repente multis millibus hominū inſpectantibus ſoluti ſunt. Mart.lib.6.

Quod conuiuaris ſine me tam ſæpe Luperce,
Inueni noceam qua ratione tibi:
Iraſcar licet vſque voces,mittaſque,rogéſq;:
Quid facies(inquis?) quid faciam?veniam.

Præteritio ἀπόφασις quaſi per tranſennam indicat,quod ſimulat ſe prætermittere, & nolle dicere.in Diuinat.Nihil dico de meo ingenio,neque eſt quod poſſim dicere, neque ſi eſſet,dicerem.item,neque ea dico,quæ ſi dicam tamen infirmare non poſſis, te antequam de

Sicilia

Sicilia decesseris, in gratiã rediisse cum Verre. Aeneid. 6.

Quid Thesea magum,
Quid memorem Alchidem?

Pro Cluentio: Mitto illam primam libidinis iniuriam, mitto nefarias generi nuptias, mitto cupiditate matris expulsam ex matrimonio filiam. In Pisonem: Atque hæc dicere vix audeo, vereor enim ne quis sit, qui istius insignem nequitiam frontis inuolutã integumentis nondum cernat. item, nondum commemoro rapinas, nondum exactas pecunias, non captas, nõ imperatas, non neces sociorum, non cædem hospitum, non perfidiam, nõ immanitatem, non scelera prædico. Aenei. 10.

Quid repetã exustas Ericino ĩ littore classes?
Quid tempestatum regem, ventosq; furentes
Aeolia excitos, aut actam nubibus Irim?

pro lege Manilia: Nõ sum prędicaturus, Quirites, quantas ille res domi, militiæque, terra, maríque, quantáque felicitate gesserit. Non est prætereundum genus schematis, cum caussæ effectis, aut contra, redduntur: nomẽ deest, exempla non desunt. Cicero in Diuin. Quas res luxuries in flagitiis, crudelitas in suppliciis, auaritia in rapinis, superbia in contumeliis, efficere potuisset. pro lege Manilia: Labor in negotiis, fortitudo in periculis, industria in agendo, celeritas in conficiendo, consilium in pro-

in prouidendo. Martia. lib. 9.

Demeruiſſe duos votum eſt: offendere plures
 Vix tutum: multis mittere dona graue.

pro Murena: Inertiam, fugā laboris & deſidiā: repudiatio ſupplicum ſuperbiam, amicorum neglectio improbitatem coarguit. Parado. 1. Non vllam cogitationem habuiſſe videātur hi qui hanc remp. tam pręclarè fundatam nobis reliquerunt, aut auri, aut argenti ad auaritiam, aut amœnitatum ad delectationem, aut ſuppellectilis ad delicias, aut epularum ad voluptates? Correctio eſt ſententiæ aut verbi emendatio: de ſententia hoc loco diſputandū eſt: de verbo poſtea. Cicero pro Milone: ſed ſtulti ſumus, qui Druſum, qui Aphricanum, qui Pompeium, qui noſmetipſos cum Clodio conferre audeamus. Pro Deiotaro: vide quid interſit: & ſi iniquè Caſtorē cum Domitio comparo. Officiorum ſecundo: Italiam ornare, quàm domum ſuam maluit: Quanquam Italia ornata domus ipſa mihi videtur ornatior.

Emphaſis eſt, in qua per quandam ſuſpicionē quod non dicimus, accipi volumus. Acti. 3. fecit liberaliſſimo animo pop. Ro. vt cuius diuitiæ me de fide deducere non potuiſſent, ne eiuſdē pecuniis de honore deiicerer. ſignificat ſe non potuiſſe pecunia adduci, vt in hac cauſſa præuaricaretur. Aeneid. 1.

Cauum

Cauum conuersa cuspide montem
Impulit in latus:ac venti velut agmine facto
Qua data porta,ruunt: Hinc licet coniicere quanta fuerit tempestas: vt lib.3.
Quantus fuerit Polyphemus, Cuius
Trunca manus pinũ regit, & vestigia firmat

Sic Aeneidos quarto:

Non licuit thalami expertẽ sine crimine vitã
Degere more feræ: quasi sine thalamo vitã Hominum non putet,sed ferarum.

Marti.lib.5.

Si quãdo leporem mittis mihi (Gellia)dicis,
Formosus septem Marce diebus eris.
Si non derides,si verum tu lux mea dicis,
Edisti nunquam Gellia leporem.

Lib.decimo.

Nubere Paula cupit nobis: ego ducere Paulã
Nolo: anus est,vellem, si magis esset anus.

Lib.vndecimo.

Nil mihi das viuus,dicis post fata daturum:
Si non es stultus, scis Maro quid cupiam.

Apostrophe est auersio sermonis à recto, & naturali cursu ad aliud quidpiã, vt ad Deum:vt Actio.7. Nunc te Iupiter optime maxime:ad hominẽ,vt pro domo sua: O Quinte Catule,patrémne appellem,an filium? negabas fas esse duos consules esse in hac ciuitate inimicos reipublicæ. Aeneidos quinto:

O ni-

O nimium cœlo,& pelago confiſe ſereno,
Nudus in ignota Palinure iacebis arena.

Ad incertam perſonam. Aeneid.4.

Exoriare aliquis noſtris ex oſſibus vltor,
Qui face Dardanios ferroq; ſequare colonos

Ad ſeipſum: Quale eſt illud Didonis. Aen.4.

Quin morere vt merita es, ferroq; auerte dolorem.

Ad ſe,& ad alium. Aeglo.1.

Inſere nũc Melibœe pyros, pone ordine vites
Ite meæ quondam fœlix pecus, ite capellæ.

Neque ſolum ad deos, aut homines, verumetiam ad res alias auertitur ſermo. Aeglo.2.

Et vos ô lauri carpam,& te proxima myrte.

Aeglog.quinta:

Vos Coryli teſtes, et flumina nymphis. Ge.2.

Salue magna parens frugum ſaturnia tellus.

pro Milone: Vos enim albani tumuli, atque luci, vos, inquã, imploro, atq; obteſtor. Ae.2.

Vos æterni ignes, & non violabile veſtrum
Teſtor numen, ait, vos aræ, enſeſque nefandi,
Quos fugi: vittæque deum, quas hoſtia geſſi:
Fas mihi graiorum ſacrata reſoluere iura.

Superlatio ὑπερβολὴ eſt traiectio veritatis, cùm plus dicimus, quam veritatis natura patiatur. Duæ ſunt eius ſpecies, vna quæſita ad augendum, altera ad diminuendum: augendo enim ſæpe res ipſa naturalem modum excedit: neq; tamen mẽdacio fallere vult: ideoq; ignoſcitur orationi. Actio.7. Verſabatur in

Sicilia

Sicilia longo interuallo non Dionyſius ille, nec Phalaris, ſed quoddam nouum monſtrũ ex vetere illa immanitate. pro Cluent. Quod portentum dij immortales, quod tantum mõſtrum in vllis locis, quod tam infeſtum ſcelus, atque immane, aut vnde natum eſſe dicamus? pro Domo ſua: Quibus tãquam gradibus mihi videor in cœlum aſcendiſſe, non in patriam reuertiſſe. de reſponſis Aruſpicum: Quam tam immanẽ Charybdim poëtæ fingendo exprimere potuerunt, quæ tantos exhaurire gurgites poſſe t, quantas iſte Bizantiorum, Brogitarorumque prædas exorbuit? Philip. 2. Fruſtis eſculentis vinum redolentibus gremium ſuum, & totum tribunal impleuit. Aeneid. 4.

Pendent opera interrupta, minæque
Murorum ingentes, ęquataque machina bello.

Aeglo. 7.

Nerine galathea thymo mihi dulcior hyblę,
Candidior cygnis, hedera formoſior alba.

Aeneid. 7.

Illa vel intactæ ſegetis per ſumma volaret
Gramina, nec teneras curſu lęſiſſet ariſtas,
Vel mare per medium fluctu ſuſpenſa tumẽti
Ferret iter: celeres nec tingeret ęquore plãtas.

Secundum genus quo res extenuatur citra fidem: aut fit ſimpliciter. Agraria. 2. Sullanus ager à certiſſimis hominibus latiſſimè conti-

nuatus tantam habet inuidiam, vt veri, ac fortis tribuni plebis ſtridorem perferre non poſſit. pro Murena: Cato nimium nos noſtris verbis magna facere demonſtrat:& oblitos eſſe bellum illud omne mythridaticum cum mulierculis eſſe geſtum. aut comparatè tractatur, Cicero in Piſonem: Triennio pòſt Macedonicus imperator ſic in vrbem ſe intulit, vt nullius negotiatoris obſcuriſſimi reditus vnquam fuerit deſertior. Atque ita ſe habet ratio ementiendæ veritatis: ſuauis autem eſt, & ſæpe vtilis iocus, cùm ad cõdiendum, tum ad venuſtè conformandum ſermonem: quo rei alicuius deformitas irridetur non turpiter, nec inſulſe. Huius duo genera ſunt facetiæ, & dicacitas. facetiæ latius in oratione funduntur: vt cum ridicule deſcribuntur hominum mores, atque ita effinguntur, ut quales ſint, intelligantur. vt apud Ciceronem pro Cluentio notatur Cepaſius ineptus orator, qui ad defendendum Fabritium attulerat ſcriptam orationem. Cum callidiſſimè (inquit Cicero) ſe dicere putaret, & cum illa verba grauiſſima ex intimo artificio deprõpſiſſet, reſpicite iudices, hominum fortunas: reſpicite dubios, varioſque caſus: reſpicite Caij Fabritij ſenectutem: cum hoc, reſpicite ornãdæ orationis cauſſa ſæpius dixiſſet, reſpexit ipſe: At Caius Fabritius à ſubſelliis demiſ-

demiſſo capite diſceſſerat. Hic iudices ridere, ſtomachari, atque acerbè ferre patronus cauſſam ſibi eripi, & ſe cætera de illo loco, reſpicite iudices non poſſe dicere: nec quidquam propius eſt factum, quam vt illum perſequeretur: & collo obtorto ad ſubſellia reduceret, vt reliqua poſſet perorare. Dicacitas breuior eſt, & acutior, in qua hoc præcipiendum eſt, vt ante illud facetè dictum emiſſum hæreat, quàm cogitari potuiſſe videatur. delectat enim quod inopinata feſtiuitate ferit animos: cuius magnam facultatem natura Ciceroni tribuit: ſic enim iocatur in Fanniũ Chaeream pro Quinto Roſcio: Nónne caput, & ſupercilia illa penitus abraſa olere malitiam, & clamitare calliditatem videntur? qui idcirco capite, & ſuperciliis ſemper eſt raſis, ne vllũ quidem pilum viri boni habere videatur. In Diuinat. Sed repente è veſtigio ex homine, tanquam aliquo circeo poculo factus eſt Verres. pro Cecin. Sext. Clodius, cui nomen eſt Phormio, non minus niger, nec minus confidens, quã ille Terentianus eſt Phormio. pro Flaco: Homini Phrygi qui arborem fici nunquã vidiſſet, fiſcinam ficorum obieciſti, cuius mors te ex aliqua parte releuauit: edacem enim hoſpitẽ amiſiſti. pro domo ſua in Pub. Clodiũ: Ego mihi ſororem virginẽ aſciſco: tu ſororem tuam virginem eſſe non ſiuiſti: ſed vide,

ne tu te debeas Iouē dicere:quòd tu iure eandem sororem,& vxorem appellare possis.Philip.2.In Anto.Duo millia iugerum campi Leontini Sexto Clodio rhetori assignasti:et quidem immunia:vt pro tanta mercede nihil sapere disceres.in Pisonem:Obrepsisti ad honores errore hominum,commendatione fumosarum imaginum,quarum nihil habes simile, præter colorem.Exposui breuiter quibus sententiarum insignibus illuminetur,atque illustretur oratio: Deinceps de luminibus verborum(vt erat propositum) differendum est.

Geminatio verbi eiusdem repetitio est: aut continua,vt Actio.7.Aspicite, Aspicite iudices,squalorem.Itē,Crux,Crux(inquam) infelici,& misero.Aeglo.5.

Deus,deus ille Menalca
Sis bonus,ô fœlixque tuis: Aeglo.6.
Vt littus hyla hyla omne sonaret. Catil.1.

Viuit, viuit? imò verò in senatum venit. pro Ligario:Quantum tu per te, per te(inquam) obtines.pro Milone: Excitate,Excitate eū si potestis,ab inferis.Geor.1.

In morem fluminis Arctos,
Arctos Oceani metuentes æquore tingi.

Aut disiūcta est geminatio verbo vno,aut pluribus interpositis.Cati.1.Viuis, & viuis non ad deponendam,sed ad confirmandam audaciam.Aeneid.5.

Maria

Maria vndique, & vndique cœlum. Item,
Quo nunc,quo tenditis inquit?

Actio.7. Quid Cleomenes facere potuit?(nõ enim poſſum quenquã inſimulare falſò)quid (ſiquã) magnoperе potuit Cleomenes facere? pro Domo ſua:Sed excitatus aliquando(dicã ipſo audiente quod ſenſi,& ſentio:) excitatus (inquam)aliquando Cneij Pompeij nimium diu recõditus,& penitus abſtruſus dolor. pro Marcello:Totum hoc quãtũcunq; eſt, (quod certè maximum eſt:) totũ(inquam)eſt tuum. Aeglo.6. Si quis tamen hæc quoq;, ſi quis Captus amore leget:

Ἀναφορὰ eiuſdem verbi ab initio,vel circa initia repetitio,ſpectatur in principiis inciſorum,membrorum,& periodorum: in inciſis. pro Quint.Quid hæc amentia?quid hæc feſtinatio?quid hęc immaturitas tãta ſignificat? non vim?non ſcelus?nõ latrocinium? Catil.3. Ille,ille Iupiter reſtitit,ille Capitoliũ,ille hęc templa,ille hanc vrbem,illę vos omnes ſaluos eſſe voluit.In Vatiniũ: Quem nemo congreſſu,nemo aditu,nemo ſuffragio, nemo ciuitate,nemo luce dignum putet.pro Seſtio: Qui cauſſam ciuis calamitoſi,cauſſam amici,cauſſam bene de republica meriti, cauſſam ſenatus,cauſſam reipublicæ,cauſſam Italiæ ſuſcepiſſet?Aenei.6. Non vultus,non color vnus, Non comptæ manſere comæ:

Secunda ἀναφορὰ repetit idem verbum in membrorum principiis. Pro Cluentio: Legũ miniſtri magiſtratus: legum interpretes iudices: Legũ deniq; idcirco ſerui ſumus, vt liberi eſſe poſſimus. Philip. 2. Accuſa ſenatum: accuſa equeſtrem ordinẽ, qui tum cũ ſenatu copulatus fuit: accuſa omnes ordines. Aeneid. 5.

Liceat dare tuta per vndas
Vela tibi: liceat laurentem attingere tybrim.

Tertia ἀναφορὰ idẽ verbum ſępius ducit à principiis periodorũ. pro Sexto Roſcio: Accuſant ij, qui in fortunas huius inuaſerũt: cauſſam dicit is, cui præter calamitatem nihil reliquerunt. Accuſant hi, quibus occidi patrem Sexti Roſcij bono fuit: cauſſam dicit is, cui nõ modo luctum mors patris attulit, verumetiam egeſtatem. Aeneid. 4.

Nunc eadem labente die conuiuia quærit. &
Nũc media Aeneã ſecũ per mœnia ducit. &c.

Ἐπιστροφὴ eiuſdem verbi in extremum conuerſio. Cicero pro Quintio: Pecuniam petit: nũc deniq;? verũtamen petit. in Vatinium: Cùm ego legem de ambitu tulerim, ex ſenatuſconſulto tulerim, ſine vi tulerim, ſaluis auſpiciis tulerim. Philip. 2. Doletis tres exercitus pop. Ro. interfectos? interfecit Antonius: deſideratis clariſſimos ciues? eos quoque eripuit vobis Antonius: authoritas huius ordinis afflicta eſt? afflixit Antonius. Aeglo. 8.

De-

Debent hæc pignora daphnim:
Ducite ab vrbe domum mea carmina,ducite
Daphnim. Martia.lib.2.
Capto tuã(pudet heu)sed capto maxĩe cœnã:
Tu captas alias,iam sumus ergo pares.
Mane salutatum venio:tu diceris isse
Ante salutatum,iam sumus ergo pares.

Συμπλοκὴ,complexio continet aliquãdo idem verbum in principiis,& extremis repetitum.Actio.7.Multi,& graues dolores inuenti parentibus,& propinquis:Multi.Aeglo.8.

Crudelis tu quoque mater;
Crudelis mater magis,an puer improbus ille?
Improbus ille puer,crudelis tu quoq; mater.
Martia.lib.8.
Phosphore redde diẽ,quid gaudia nostra moraris?
Cæsare venturo Phosphore redde diem.

Aut aliud iterat in principiis, aliud in extremis.Agraria.2.Quis legem tulit?Rullus:quis maiorem populi partem suffragiis priuauit? Rullus.Quis comitiis præfuit? Idem Rullus. pro Milone.Quis eos postulauit?Appi⁹.quis produxit?Appius.

Πλοκὴ implicatio, atque traiectio verborum. In Diuinatione: Quos intelligis non vt per te alium, sed vt per aliquem te ipsum vlciscantur, laborare. Pro Planco: Gratiam qui refert habet, & qui habet,

in eo ipſo quod habet, refert. Pro Cluetio, Vt ſine inuidia culpa plectatur:& ſine culpa inuidia ponatur. pro Cecinna: Quia res indigna ſit, ideo turpem exiſtimationem ſequi: quia turpis exiſtimatio ſequatur, ideo rem indignam non vindicari.

Πολύπτωτον variata caſibus eiuſdem nominis iteratio. Agraria. 2. Deducuntur coloniæ, quo? quorum hominũ? in quæ loca? Pro Cœlio, Ipſius autem veneni quæ ratio fingitur? vbi quæſitum eſt? quemadmodum paratum? quo pacto? cui? quo in loco traditum? de reſponſis Aruſpicum, Homines te propter pecuniam iudicio liberarunt: hominibus iniuria tui ſtupri dolori non fuit: hominum beneficia prorſus concedo tibi. Philippica.13. Huic cedamus: huius conditiones audiamus? cum hoc fieri pacē poſſe credamus? Aenei.4.

Littora littoribus contraria, fluctibus vndas
Imprecor, arma armis. Aenei.5.
Quo deinde ruis, quo proripis inquit?
Quem fugis, aut quis te noſtris complexibus arcet?

Interim fit mutatio generum. Actio.7. Certus locus, certa lex, certum tribunal, quo hoc reſeruetur. Nonnunquam numerorum. Aeneidos quarto:

Eadem me ad fata vocaſſes:
Idem ambas ferro dolor, atque eadem hora tuliſſet.

tuliſſet.

Gradatio, κλίμαξ repetitio priuſquam alio deſcendat, in prioribus reſiſtens. pro Sexto Roſcio: In vrbe luxuries creatur: ex luxuria exiſtat auaritia neceſſe eſt, ex auaritia erũpat audacia. pro Archia poëta: Vt famam ingenij expectatio hominis, expectationem ipſius aduentus, admiratióq; ſuperaret. Philippica.12. Poteſt Reipub. prodeſſe noſtra legatio? prodeſſe dico? quid ſi obfutura? obfutura? quid ſi etiam nocuit? Aeglo.2.

Torua leæna lupum ſequitur, lupus ipſe capellam.

Πολυσύνδετον eſt, cùm multa verba coniunctionibus deuinciuntur. pro lege Manilia: Vt nulla res tam difficilis, quam ille non & conſilio regere, & integritate tueri, & virtute cõficere poſſit. Georg.1.

Lappæque, tribulique, interque nitentia ſaxa.

Geor.3.

Tectumque, laremque,
Armáque, Amyclæunque canem, Creſſamq;
pharetram. Aeneid.6.
Fortè recẽſebat numerũ, charóſque nepotes,
Fataque, fortunasq; virũ, moresq;, manusq;.

Ἀσύνδετον, διάλυτον, diſſolutio verborũ ſublatis cõiunctionibus, vt plura in oratione eſſe videantur. Catilinaria ſecunda: Abiit, exceſſit, euaſit, erupit. Actione ſeptima: Huius furta,

furta, rapinas, cupiditatem, crudelitatem, superbiam, scelus, audaciam rerum gestarũ magnitudine, atque imperatoriis laudibus tegere conaris? Item: Adsunt, defendunt, proclamant, fidem tuam (quæ nusquam erat, nec vsquam fuit) implorant. Aeneid. 9.

Ferte citi ferrum: date tela, scandite muros,
Hostis adest, Eia:

Martia. Libro secundo:

Frange toros, pete vina, rosas cape, tingere nardo.

Congregantur verba non eiusdem vocis, sed eiusdem penè significationis, & sententiæ. Catil. 1. Quæ cum ita sint, Catil. perge quo cœpisti: egredere aliquando ex vrbe: patent portæ: proficiscere. pro Sylla: Nisi verò vnũ me vis ferum, præter cæteros, me asperum, me inhumanum existimari.

Ἀποσιώπησις est, cum subtractum aliquid satis ex cæteris intelligitur. In Pisonem: itaque in illo tumultu fracti fasces, ictus ipse, quotidie tela, lapides, fugę. Cicero in epistolis: data lupercalib⁹, quo die Antonius Cæsari. æglo. 3

Nouimus & qui te transuersa tuētibus hircis,
Et quo (sed faciles nymphæ risere) sacello.

Aeneid. 9.

Ec quis erit mecum, iuuenes, qui primus in hostem? En (ait.)

Συνεζευγμένον adiunctio verbi, cũ ad vnum verbũ plures sententiæ referuntur, quarũ vnaquaque

quæque desideraret illud, si sola poneretur. Id accidit tribus modis: aut enim verbum præponitur ad quod sequentia respiciunt. pro Cluētio: Vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia. Pro Murena: Cedat forum castris, ocium militiæ, stylus gladio, vmbra soli. Item, versabitur in castris furor, in foro coniuratio, in campo exercitus, in agris vastitas. Aeglo. 1.

Sunt nobis mitia poma,
Castaneæ moles, & pressi copia lactis.

Aut medium est, cum quo præcedentia, & sequentia cohærēt. Pro Murena: Qui huius dolor? qui illius mœror erit? quæ vtriusq; lamētatio? Virgil. Georg. 1.

Nónne vides croceos vt tmolus odores,
India mittit ebur, molles sua thura sabæi?

Aut verbū statuitur in fine, quo reliqua clauduntur. Pro Cluentio: Vt eā nō pudor, nō pudicitia, nō pietas, nō macula filiæ, non hominum fama, non filij dolor, non filiæ mœror à cupiditate reuocaret. pro Planco: Virtus, probitas, integritas in candidato, non linguæ volubilitas, nō ars, nō sciētia requiri solet. Ae. 7.

Quid syrtes, aut Sylla mihi, quid vasta Carybdis Profuit?

Anominatio, παρωνομασία, παρήχησις posita est ī similiū vocū vicinitate, & collusiōe, q̄ aut principiis tātū respōdēt. Act. 2. Nā vt apt° fuit

fuit in corripiendis pecuniis,sic in spe corrũpendi iudicij.Aeneid.11. legitque virũ vir. Aut in mediis.Philip.3. En cur magister eius ex aratore orator factus sit. Aut in extremis. Pro Cluētio:Sic in hac calamitosa fama,quasi in aliqua perniciosissima flamma. Aut in principiis,& extremis.de responsis Arus.Nõ modò vincere, sed etiam vincire oporteret. Actio.3.vt ad audendum proiectus, sic paratus ad audiendũ:Aut in principiis, & mediis. in Pisonem.Nec minus lætabor cùm te semper sordidum, quàm si paulisper sordidatum viderem:aut in mediis,& extremis.Pro Fonteio:Atque vt commissus sit fidei, permissus potestati.Martia.

Litigat,& podagra Diodo. (Flacce) laborat:
Sed nil patrono porrigit:hæc chiragra est.

Similiter cadens, ὁμοιόπτωτον multa eiusdem casus continet.pro Marcello: Nec contentionum magnitudine, nec numero præliorum,nec varietate regionum, nec celeritate conficiendi,nec dissimilitudine bellorũ posse conferri.

Similiter desinēs,ὁμοιοτέλευτον vtitur verbis eiusdem terminationis.pro Murena,Duxit exercitum:manum conseruit: signa contulit:magnas copias hostium fudit: vrbes partim vi,partim obsidione cepit.

Compar, articulus, πάρισον, constat ferè æquali-

æqualibus interuallis, quæ ſunt: aut inciſa. pro Milone: Non modo ad ſalutem eius extinguẽdam, ſed etiam gloriam per tales viros infringendam. pro Sylla: Conſilio inueſtigaſſet, veritate aperuiſſet, magnitudine animi vindicaſſet. pro Planco: Ferre modicè populi volũtates, allicere alienas, retinere partas, placare turbatas. Aut membra iunguntur penè paria, quæ vocãtur ἰσόκωλα. pro Murena: Me ſaucium recreauit: me præda donauit: hoc duce caſtra cepimus: ſigna contulimus. pro lege Mani: Extrema hyeme apparauit: ineũte vere ſuſcepit: media æſtate confecit. Philippi. 5. Veteranos milites conuocauit, paucis diebus exercitum fecit: incitatos latronũ impetus retardauit. in Vatinium: Non legem aliquam Cornelius contra auſpicia tulerit? non Aeliã, non Fuſiam legem neglexerit? nõ conſuli vim attulerit? non armatis hominibus templa tenuerit?

Contrapoſitum, cõtentio, ἀντίθετον fit cũ cõtraria contrariis referuntur. Actio. 4. Conferte hanc pacem cum illo bello, huius prætoris aduẽtum cum illius imperatoris victoria, huius cohortem impuram cũ illius exercitu inuicto, huius libidines cum illius continentia: ab illo qui cepit, conditas, ab hoc qui conſtitutas accepit, captas dicetis Syracuſas. pro Murena: Odit popu. Rom. priuatam luxuriam

xuriam, publicam magnificentiam diligit. Philip.3. Si consul Antonius, Brutus hostis: si conseruator reip. Brutus, hostis Antonius.

Correctio modo verbum emendat nullo aliq subiecto meliore. pro Murena: Atque hec ciues, ciues inquam (si hoc nomine eos appellari fas est) de patria sua cogitant, & cogitarunt. Modo verbum pro verbo reponit. pro Quintio. O hominem fortunatũ qui huiusmodi nuncios, vel potius pegasos habeat. pro Cœlio: Nisi mihi intercederent inimicitiæ cum istius mulieris viro, fratrẽ volui dicere, semper hìc erro. pro Liga. Exoritur crimen in Ligarium, vel potius ira. Itẽ, cessit authoritati amplissimi hominis, vel potius paruit. Philip. 2. Sed stuporem hominis, vel dicam pecudis attendite. Itẽ, Tãtus igitur stupor te oppressit, vel (vt verius dicã) tãtus furor. Perfect⁹ orbis cõcinitatis ex similiter desinẽtib⁹, cadẽtibusque, ex cõparibus, et cõtrariis existit ad sũmã venustatẽ, & magnificentiam orationis comparatus. Pro Milone: Est enim iudices, non scripta, sed nata lex: quam non didicimus, accepimus, legimus: verùm ex ipsa natura arripuimus, hausimus, expressimus: ad quam non docti, sed facti, non instituti, sed imbuti sumus.

Hactenus insignes orationis figuræ expositæ sunt: deinceps (vt erat propositũ) de verbis

correctio emendatio uerbi

eloquentię uenustas ex similiter cadenti, desinenti, compari, et contrariis mire nascitur

bis aptis dicendum est. Sic enim partitus erã coniunctorum verborum laudem, vt lenitate coagmentationis, suauitate numerorum, concinnitate figurarum, & eius quod deceat in dicendo pulchritudine, moderationeque contineretur. Apta est verborum continuatio, quæ stylum habet ad id quod agimus, accommodatum. Cùm autem res oratori subiectæ sint aut humiles, aut graues, aut intermediæ: oratio quæ rebus explicandis adhibetur hanc tripertitam varietatem sequatur necesse est: in qua cum differentia pro rerum momentis, & naturis accipiatur, omnibus tamen dicendi generibus hoc commune sit: vt ex patefactis eloquentiæ fontibus eadem penè promiscuè hauriant, sed aliâs contentius, & splendidius, aliâs remissius supradictis ornamentis vtantur.

Humilis igitur oratio congruenter, & aptè formabitur, quæ in ornandis paruis rebus subtili quadam, & pressa tenuitate limabitur: vt omnia summisse, & dilucidè doceat. huius figuræ tenuioris est carmen Virgilij Bucolicum: multæ Ciceronis familiares Epistolæ: tota oratio pro Quintio, & pro Cecinna, & quædam partes caussarum tractantur hoc genere gracilitatis: quod non est vniusmodi, sed plerumque cadit in comparationem. Nam

vt re-

vt rerum tenuium quædã ſunt interualla, nec omnes in eodem gradu humilitatis conſiſtũt: ita ſubtili oratione ſubtilior,& preſſa preſſior inuenitur. Grauis nihil poteſt tranquillè, nihil preſſe,nihil leniter dicere,ſed ad ſententiarum vim,& grauitatem,verborum põdus, & magnificentiam accommodat, vehemẽs, plena,copioſa & ad tractandos animos inſtructa. qua dignitate caſus Aneeę ſcribũtur,& cauſa Rabirij de iure maieſtatis amplificatur.hęc elocutionis forma quemadmodum ſuperior comparatè ſpectari poteſt.Nam & graui grauiorem,& copioſa copioſiorem natura rerum quę dicuntur admittit:Tertium genus intermedium modico,& æquabili tenore inter vtrunque verſatur,dignitatemque ſuam conſeruat paulò robuſtius,quã illud humile,pauloque ſummiſſius quàm hoc amplum & copioſum.qua ſtyli mediocritate Virgilius rem ruſticam,Cicero in lege Manilia Cnei Pompeij laudes perſecutus eſt.Hanc igitur tripertitam orationis varietatem decorum moderabitur,vt humilia ſummiſſe, magna grauiter mediocria temperatè poſſit dicere. Atq; hæc partitio communiter omnes dicendi formas amplectitur,quibus aliæ quodammodo ſubiectæ ſunt,& in pari genere,ſpecie tamen diſpares:quę ſunt in tanta rerum multitudine ad illuſtrandam & diſtinguendam eloquentiam

ab

ab oratoribus aſſumptæ. Forenſis oratio non ſolum neruos, & aculeos habet, ſed accuratã, & ornatam verborũ ſupellectilem: ſunt enim phraſes cauſſarum ciuilium propriæ, quæ neque poëtam, neque philoſophum, neque hiſtoricum deceant: quod facile intelliget, qui fuerit in ſcriptis veterum, multum, & ſtudioſè volutatus. In hiſtoria verborum ratio debet eſſe fuſa, atque tracta, et cum lenitate quadam æquabili profluens. Genus orationis ita de medio ſumptum eſt, vt ab aliis tamen differat, & aliquid habeat quod iure poſſit ſibi vendicare. Poëtę maiorem ſibi licentiam quã cæteri ſtatuunt faciendorũ, iungendorumque verborũ. habent multas in poëmate phraſes, quas oratio ſoluta repudiat: eoque audacius vtuntur omnibus verborum ſingulorum, & coniunctorum ornamẽtis, quo maiorem ſibi proponunt in ſcribendo cantus, & auriũ voluptatem. In tractatiõe artium verborum delectus habendus eſt, quæ ex propriis earum fontibus hauriantur, coniunctio ſeruanda placida, & lenis, & flumini ſine impetu currenti, potius quàm torrenti ſimilis. Epiſtolæ familiaris ornatus ſimplex, & verecundus eſt, & à conſuetudine vulgaris ſermonis non abhorrens: ſin autem ſcriptio fuerit maioris alicuius negotij, cauendum erit, ne in electione, & conſtructione verborum dignitatis ratio præter-

mittatur. Variæ ſunt igitur dicendi formæ ſi ſingulas rerum ſpecies perſequi velimus, ſed omnes in aliquod trium generum ſuperiorum incidunt:nec inuenietur ex iis vlla, quæ non aut tenuis,aut grauis, aut temperata ſit. Has ſumma prudentia, ſummaque facultate moderabitur orator, & ſtylum rebus quarum ſubiecta fuerit materies, prudenter accommodabit, vt nec in grauibus cauſſis ſummiſſius dicat, nec in paruis fulmina verborum vehementius torqueat: ſed vt calceos pedibus, & ornamenta perſonis, ſic decorem, ſpeciemque conuenientem orationi tribuat. caput enim artis (inquit *Tullius*) eſt decere, quod tamen vnum id eſt, quod arte tradi non poſſit.

Sed hactenus huius artis demonſtratio ſuis præceptis,& legibus informata eſt. Aggrediamur exercitationem tertiam partem eloquẽtiæ longe omnium optimam, & in hoc toto dicendi ſtudio difficillimam:nihil enim rerũ ipſa natura voluit magnum eſſe ſine labore, propoſuitque pulcherrimis, & excellentiſſimis operibus ſummam difficultatem. Hæc naturam,(ſi quid peccat) corrigit: hæc doctrinã in opus educit: hæc in magnis ingeniis ſine arte ſemper multum valuit. Exercitationis autem oratoriç ſtudiũ tam latè patet,quam vſus

Gram-

Grãmaticæ, aut Dialecticæ germanarũ artiũ, & ad omnem materiam communi officio spectantium. cui tres assignantur partes: interpretatio, scriptio, & dictio. prima interpretatio studiose volutabit scriptas orationes poëtarũ, philosophorum, & omniũ excellentiũ hominum: cumq; singulas partes animo, & cogitatiõe perlustrauerit, de introspectis virtutibus verborum simplicium, & coniunctorum iudicabit, & diligentissime perpendet ornamenta omnia, quæ in artis descriptione propalã collocauim⁹: & illustrauim⁹ pręceptis, & exẽplis, vt si hoc Cic. de lege Agra. explicãdũ sit: quid enim est tã populare quàm pax? qua nõ modo ij quibus sensum natura dedit, sed etiã tecta, atq; agri mihi lętari videtur. Quid tã populare quã libertas? quã nõ solũ ab hominibus, verũ etiã à bestiis expeti, atq; omnibus anteponi videtis. Quid tã populare quã ociũ? quod ita iucũdũ est, vt & vos, et maiores vestri, et fortissim⁹ quisq; vir maximos labores suscipiẽdos putet, vt aliquãdo ĩ ocio possit esse: pręsertim in impio, ac dignitate. qui idcirco etiã maioribus nostris præcipuã laudẽ, gratiãq; debem⁹, quod eorũ labore est factũ, vt impune in ocio esse possemus. Indocti cùm hoc audiunt, magna delectatione, & iucunditate permouẽtur: at quid sit tam singulare, & diuinũ quod eos moueat, ne vlla quidem cogitatione complectuntur. tanquam igitur in aliquã lo upletem

tres partes exercitationis dantur. Interpretatio, scriptio et dictio

& ornatam eloquentiæ domum ingressi magnificas eius opes constructas, ac reconditas interpretatiõis beneficio patefaciamus. Verborum singulorum delectus est elegans: nullũ est durum, aut insolens, aut humile: multa bene sonantia, beneque translata: in continuatione nullum nisi suo loco positum, atque ita structum, vt iustis interuallis, & modicis distinguatur oratio: nec quidquam diffluat, sed astrictum sit numeris non apertè, nec eodem modo, sed variè, dissimulanterque conclusis. sensus enim deliniunt eorum qui audiunt occulti anapesti, spondæi, bacchij, cretici, molossi. Sunt præterea multa & sententiarum, & verborum lumina, tanquam in ornatu dispo-sita interrogatio, subiectio, superlatio, anaphora in principiis periodorum, polyptoton, polysyndeton, syneuzeugmenõ, similiter cadens, & desinens: quæ omnia rebus quamaptissime conueniunt. Prima igitur exercitationis ratio in accuratis, & politis scriptis eloquentiæ supellectilem intuebitur: quæ est verborum singulorum, & coniũctorum: & quidquid erit verbis nitidum, translationibus magnificum, collocatione distinctum, numeris conclusum, figuris iucundum, moderatione aptum, in communem conspectum, lucemq; proferet. Nec solum virtutes, sed etiam vitia, quæ plerunque speciem virtutum ementiuntur,

tur,

tur,nobis conſideranda ſunt:quæ quid miremur in mediocribus hominibus ineſſe, cùm ad ſummos oratores intelligamus, & omnibus ad dicendum præſidiis inſtructos, aut remiſſione ingenij,aut affectatione licẽtiæ perueniſſe?Demoſthenem Athenis conſilio, linguaq́ue principem Græcia tulit:at in eius oratione Aeſchines quædam verba dura, & intolerabilia reprehendit, & Marco Ciceroni interdum dormitaſſe viſus eſt. In Ciceronẽ omnes ſuas dotes eloquentia contulit:At à Bruto, & Caluo in compoſitione vt fractus, & elumbis exagitatus eſt.Taceo Theophraſtum in dicẽdo penè deum,quem affectatione vnius vocabuli anicula hoſpitem vocauit.Omitto Titum Liuium, in cuius ſcriptis Aſinius Pollio quandam patauinitatem,peregrinamq́ue inſolentiam notauit. Cernenda ſunt igitur in excellentibus hominum ſcriptis excellentia quędam vitia,ne nos ſua ſpecie fallant, néve pro virtutibus habeantur. Atque (vt ad ſingula capita artis reuocetur oratio) quis ignorat gratiſſimam eſſe verbi recentis,& nuper in lucem editi nouitatem? At ne ſit nimis frequens,ne dura,ne odioſa,magna prouiſione,diligentiaq́ue cauendũ eſt.Laberius à Gellio iuſtiſſimis de cauſſis eſt irriſus,quod in ſuis Mimis recẽtis laſciuiæ floſculis captus multa pueriliter innouauit, vt mendicimonium,

mœchimonium,adulterionem,adulteritatem pro adulterio,& depudicauit pro ſtuprauit. Siſenna accuſante Caio Ruſcio defendens Chirtilium dixit quædam eius ſputatilica eſſe crimina:tum Caius Ruſcius,Circunuenior (inquit) iudices,niſi ſubuenitis:Siſenna quid dicas,neſcio:metuo inſidias:ſputatilica , quid hoc eſt?ſputa quid ſit,ſcio:tilica neſcio . Sanctiorem orationem facit antiquitas:ſed nimia (ſi Tullio credimus) nec habet eam quã quęrimns in dicendo ſuauitatem,nec iam ſanè tolerabilis eſt:vt ſi quis falerno vino delectetur, ſed nec ita nouo,vt muſtum ſit , nec rurſus ita vetere,vt Opimiũ aut Anitiũ conſulẽ quęrat. Quare non abs re obiectum eſt Caio Saluſtio nimiũ vetuſtatis ſtudium noto illo diſticho:

Et verba antiqui nimium furate Catonis
  Criſpe Iugurthinæ conditor hiſtoriæ.

Et Fauorinus philoſophus in adoleſcentem quaſi cum Euandri matre verba facientem iocatus eſt:Antiquitatẽ (inquit)tibi placere dicis,quod honeſta,quod ſobria, quod modeſta ſit: viue ergo præteritis moribus, loquere verbis præſentibus:& patronus quidam cùm per commiſerationem vellet dicere equitem Romanum furfureo pane veſci,& vapam potius quàm vinum bibere,hic,inquit,iudices,apludam edit,& flores bibit:maximus riſus ab audiente populo cõcitatus eſt,quaſi neſcio quid

thuſcè,

thuſcè,aut gallicè,non latinè fuiſſet locutus.

Tranſlationes illuſtrant quaſi quædam ſtellæ:ſed in primo genere primum fugienda eſt diſſimilitudo, (quemadmodum ait Craſſus) vt apud Ennium cœli ingentes fornices:nihil enim ſimile eſt inter fornices,& ſphęram cœleſtem:Deinde videndum,ne longe ſimile ſit ductum : vt ſcopulum patrimonij libentius, quam ſyrtim dixerim . Cauendum etiam, ne ſit deformis tranſlatio : qualis eſt Caſtratam Aphricani morte rempubli. & ſtercus curiæ Glauciam : ne nimio maior, vt tempeſtas comeſſationis:néve minor , vt comeſſatio tempeſtatis:néve anguſtior,quam ſi verbum proprium fuiſſet,vt abnutare,pro vetare: & ſi durior eſſe videbitur,mollienda eſt quadam præmunitione.vt in tertio de Oratore:Quē deū (vt ita dicā) inter homines putant.& in Bruto : At eſt floridior (vt ita dicam) quàm hyperides.His itaque modis cùm interpretatio (velut Ariſtarchi notam) ad verborum ſingulorum vitioſas formas appoſuerit,deinceps quadripertitam rationem coniunctionis diligenter explorabit,ſitne bene coagmētata,numeroſe compræhenſa,eleganter & variè conformata,& ad id quod agitur accommodata; num quod flagitiū incautis hominibus in earum virtutū locū irrepſerit.Coagmentationē verborū ſuauem,cōcinnā,interuallis diſtinctā

esse volo:nimis operosam esse nolo: quam apud Luciliũ scitè exagitat ĩ Albutio Scæuola:
Quã lepide lexeis compostę:vt tesserulæ oẽs
Arte,pauimẽto,atq; emblemate vermiculato.

Danda est opera,ne nimis longa cõtinuatione interuallorum, aut perturbatione ordinis (hyperbaton vocant) oratio quæ lumen adhibere rebus debet,obscuritatem,& tenebras afferat:quale est illud Virgil.Aeneid.1.
Treis notus hybernas in saxa latẽtia torquet,
Saxa vocãt Itali,mediis quæ in fluctibus aras.

néve longior parenthesis impediat intellectum:nam Virgil.ter. Georgicon vbi pullum equinum describit,cùm dixisset:
Nec varios horret strepitus-

Pluribus interiectis non sine perturbatione sententiæ,quinto demum versu redit,
,Tum si qua sonum procul arma dedere,
Stare loco nescit.

Collocandis verbis proximũ munus est continuationem illam numero quodam complecti & astricto, & soluto. neque est ex multis res vlla,quæ magis oratorem ab imperito dicendi distinguat,quam quod ille rudis nullam habeat rationem numerosæ suauitatis,hic verò in rebus horridis nitide, absonis argutè, inconditis iucundè, & accommodatè ad aurium voluptatem possit verba componere: Sed habet ille numerus sua vitia,si fractus, & lasciuus

laſciuus mollitie diffluat:vt in verſibus Sotadæorum,& Callimachiorum:ſi non ſit & ſententiarum pondere, & elegantia verborum limatus. Virgilium amici dicere ſolebant verſus vrſino more parere prima cogitatione rudes,& informes,quos paulatim tanquam lambendo omnibus ſuis membris venuſtè conformaret,& numeris abſolueret. At Perſius in quibuſdam poëtis irridet affectatũ quendam tinnitum verborum,& numerorũ nulla ſubiecta rerum ſententia:

Torua mimalloneis implerunt cornua bõbis,
Et ſectum uitulo caput ablatura ſuperbo
Baſſaris:& lyncen menas flexura corymbis
Euion ingeminat:reparabilis aſſonat echo.
Hæc fierent ſi teſticuli vena vlla paterni
Viueret in nobis?&c.

Quinetiam lumina orationis (quæ Græci vocant σχήματα) cùm nimis belle,aut feſtiue dicuntur,nonnũquam vt puerilia,& inepta repudiantur. Quis enim ferat (inquit Fabius) contra poſitis,& pariter cadentibus,& conſimilibus iraſcentem,flentem,rogantem vbi atrocitate,inuidia,miſeratione pugnãdum eſt? cùm in his rebus cura verborum deroget affectibus fidem, & vbicunque ars oſtentatur, veritas abeſſe videatur,Sic Perſius Saty.1.

Fur es(ait) pedio,pedius quid?crimina raſis
Librat in antithetis: doctas poſuiſſe figuras

Laudatur:bellum hoc:bellum hoc? Et iterationes verborum,quas in varia genera descripsimus, nõnunquam abeunt in ταυτολογίαν, aut κακοζηλίαν cum immodicè, aut non opportunè petuntur,detrahuntq; nõ solum sententiis pondus,sed etiam verbis ornatum,& decorem:vt enim quædam mulieres inornatę dicũtur esse,quod nimiũ comptæ,& calamistratæ sunt,sic in oratione nimiũ polita,& picta figuris,ĩfucata quædã,& subodiosa vitia noscũtur.Atq; his, examinatis postremo quid deceat in dicẽdo nobis cõsiderandũ est: caput enim est eloquentię quo genere,forma, ordine, modo verborum quæque res sit aptè tractanda,peruidere:in qua cogitatione defixus anim⁹ intuebitur,an vt vestis corpori,sic rebus, atque sententiis congruẽter adhibeatur oratio: num vbertas Asiano tumore redũdet,gracilitas tenuitate deficiat, mediocritas è suis finibus exeat.quam partẽ humanæ prudentiæ difficillimum est præceptis includere, nescire verò,aut negligere turpissimum. Reliquæ duæ partes exercitationis scriptio,& dictio multa habent communia, cõstántque aut imitatione aliorũ,aut nostro arbitrio.vt enim auium teneri fœtus cũ discunt egredi, & circũuolare nidos,matres suas in exẽplũ tuẽtur, deinde probatis viribus per se toto cœlo liberius vagantur:ita primum excellẽtiũ hominũ

contempla-

cõtemplatione,& imitatione teneram adhuc manum,linguamq́ue conformare oportebit: deinde parata facultate noſtro ingenio,& iudicio aliquid ſcribere,aut dicere:Sed imitationis duæ ſunt cautiones, vt bonos authores nobis proponamus ad imitandum, vt eorum virtutes,non vitia cõſectemur.ac mihi veterẽ latinorum memoriã recordanti tres occurrũt ætatum differentiæ,prima rudis,& inculta, in qua fuiſſe dicuntur Cato,Ennius,Plautus, & Pacuuius: Secunda pura, & elegans, in qua floruerunt Terentius,Antonius,Craſſus,Hortenſius, Sulpitius, Cicero, Cæſar,Virgilius, Ouidius.Tertia inſolens, & peregrinis vitiis contaminata,cùm Romani ciues ab imperatoribus paſſim trucidarentur,externi principum beneficiis in ciuitatem reciperentur. Quare nec ſuperiores inconditos,& obſoletos,nec rurſus poſteriores barbaros,& inquinatos in lĩgua latina ſequẽdos eſſe duco: mediorum,& inter vtramque ætatẽ interiectorũ veſtigiis qui inſiſtet,cõparabit latinè loquẽdi magna cum laude puritatem:verũ in eo quem probabit,quæ maximè excellent,ea ſtudioſiſſimè perſequetur: & quemadmodum pictores tabulam Apellis, aut alicuius inſignis pictoris,ſic ille ſtudioſus imitator ſcriptas oratoris tabulas.i.orationes intuebitur, quantumq́ue poterit,ſtudio & imitatiõe effinget. Ad aliorum igi-

rum igi-

rum igitur ſimilitudinem qui diu, multúmque ſcriptitabit, & vehementiſſimè ſe itidem in dictionibus exercebit, hanc demum cõſequetur facultatem, vt cum omiſſa prioris imitationis cõſuetudine ſtudium adiunget ad aliquid ſuo iudicio commentandum, & limandum, genus inducat dicendi & ſingulare, & ſuum: & ita ſui authoris ſtylum repreſentet, vt quãuis non ſit omnino ſimilis, tamen in diſſimilitudine laudem mereatur. Vt igitur aliquid extremum habeat oratio comparandæ eloquentiæ ſi non omnes patefacti, at certè commonſtrati ſunt fontes. Dixi naturam primum, atque ingenium ad bene dicẽdum vim afferre maximã: Deſcripſi artem ſitam in verbis ſingulis, & coniunctis accommodatè ad imitationem naturæ. Adiunxi tripertitam exercitationem interpretandi, ſcribendi, dicendi, quæ ſolet omnes magiſtrorum leges, & præcepta Rhetorum ſuperare: in eaque deſcriptione non ſolùm naturæ, & veritatis admonitiones ſum ſecutus, ſed Marci Tullij Ciceronis ſententiam, qui virtutem benedicẽdi ſummis ingeniis, optima doctrina, maximo vſu cognitam, & perfectam eſſe iudicauit.

FINIS.

ERRATA.

Fo.3.linea 52. lege quondam. fo.4. linea 2.lege qualis.fo.7.pag.2.rerum communia.fo.11.lin.25. loco.item lin.28.act.3.fo.12.l.9.ἐνάργεια fo.13 lin.6.cæde.item,lin.11.expunge Cati.2.item,pag. 2.referuens.fo.17.lin.4.Aenei.1.item lin.52. sermocinationis fo.21.pag.2.post uiuo adde conce-do.fo.23.pag.2.fuga fo.24.lin.33.aliud.